

missam. l. quanquam 10. C. ad leg. Falc. l. co-
haeredi 41. §. cum filiae 2. de vulg. & pupil.
Neque sane ulla ratio afferri potest, quamobrem
cum S. C. inducitur, duae quartae a filio de-
trahantur: cum autem *Falcidiae* ratio ponitur,
una duntaxat. Nam *Falcidia* inofficiosi testa-
menti querelam excludi, scribit Iurecons. in d. l.
Papinianus 8. §. quarta autem 9. de inof. test.
Tum vero, non intelligo, quaenam ista *naturae*
quarta sit, nullam enim certam portionem in
bonis parentum filiis natura definivit. Praete-
rea, si *naturae* iure portio ista filiis debetur,
(uti existimavit Summus Pontifex in cap. *Ray-
nutius*. 8. de testa.) querela inofficiosi testamenti
filio non erat necessaria. Nam neque arrogato,
qui ex d. pii constitutione quartam habet, ne-
cessaria est. d. l. *Papinianus* 8. §. si quis impu-
bes 15. Postremo liberis naturalibus tantum ea-
dem ista portio deberetur.

[5.] **V**TILITAS autem legis *Falcidiae* illa
est, ne testamenta destituantur, nullo proposito
ex aditione haeredibus institutis commodo. Adi-
re namque ex testamento ne filius quidem cogi-
potest: qui & beneficio Praetoris abstinere, &
suo iure omittere causam testamenti potest. Haec
eadem causa ordinem Amplissimum movit, ad
permittendam similem retentionem de fideicom-
missariis haereditatibus. Quantus autem testa-
mentorum favor sit, ex eo intelligimus, quod
si pars iudicantium pro liberis, pars pro testa-
mento iudicaverit, ea pars vincit, quae pro
testamento iudicavit. l. si pars 10. de inof. testa.

[6.] **N**ECESSARIA autem fuit lex *Falcidia*
post leges *Furiam* & *Voconiam* testamentarias:
quia iis legibus non satis haeredi cavebatur, &
per consequens neque testamento. Illa plus
mille assibus legatarium capere vetabat, sed nu-
merum legatariorum non diffiniebat. Itaque po-
terat evenire, ut multiplicato numero legata-
riorum, haeredi nihil relinqueretur. Lex au-
tem *Voconia* vetabat, eum, qui esset census,

plus cuiquam legare, quam ad haeredem perve-
niret, uti testatur m. *TVLLIVS* in *praet. urb.*
Qua lege salva, poterat evenire, ut pluribus
legatariis, unus duntaxat aureus ad haeredem
perveniret. Ponamus, ab eo, qui centum aureos
in bonis habebat, nonaginta novem legatariis sin-
gulos aureos legatos. Itaque neutra lex ullo satis
iusto operae pretio haeredes ad adeundas haereditates
invitabat. Legem porro *Furiam* legem *minus*
quam perfectam appellat *VLPIANVS titul.* 1. *In-
stit.* quae factum non rescinderet: sed ei, qui plus
mille assibus ceperat, poenam quadrupli iniun-
geret: quam poenam lex *Falcidia* sustulit illis
verbis, sine *FRAVDE SVA CAPERE LICETO.*

[7.] Pertinet autem lex *Falcidia* ad legata,
ad fideicomissa particularia, relicta testamento
ex S. C. & ab intestato ex d. pii constitutione.
l. *filiusfamilias* 18. *hoc titu.* Ad donationes
item causa mortis ex d. *SEVERI* constitut. l. 2.
C. de donat. cauf. mort. cuius constitutionis po-
testate fit, ut rei corporaliter traditae, pars ta-
men quarta in haereditate remansisse videatur.
l. penult. C. ad leg. Falc. l. 1. §. si quis 5. quor.
lega. Item ad donationes inter virum & uxorem,
quae morte confirmantur. l. cum hic status
32. de donat. inter. vir. & ux. Ad eam postre-
mo mortis causa capionem, de qua Imperator
in l. penult. C ad leg. *Falcid.* Neque enim eius
legis decisio casum propositum egreditur; de
quo scribendum ad §. item 8. De donationibus,
quae inter virum & uxorem permisae sunt, non
detrahetur *Falcidia*: neque enim eae donationes
morte confirmantur: arg. l. si quando 109. de
leg. 1. de donationibus item inofficiis non de-
trahitur *Falcidia*, nisi mortis causa fiant: adver-
sus namque eas, quae inter vivos fiunt, prodi-
tum est remedium *QVERELAE inofficiose do-
nationis*, ad exemplum inofficii testamenti: de
quo remedio Imperator *in titu. de inoffic. donati.*
His praemissis consequens est, ut ad interpreta-
tionem legum accedamus.

I. PAVLVS Lib. singulari ad legem *Falcidiam*.

Lex etiam Falcidia lata est, quae primo capite liberam legandi facultatem dedit usque ad dodrantem, iis verbis, QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET, VT EAM PECVNIAM, EASQVE RES, QVIBVSQ. DARE LEGARE VOLLET, IVS POTESTASQ. ESTO, VT HAC LEGE SEQVENTI LICEBIT.
Secundo capite modum legatorum constituit iis verbis, QVICVNQVE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQ. CIVI ROM. PECVNIAM IVRE PUBLICO DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQ. ESTO: DVM ITA DETVR LEGATVM, NE MINVS QVAM QVARTAM PARTEM HAEREDITATIS EX EO TESTAMENTO HAEREDES CAPIANT. ET IIS, QVIBVS QVID ITA

DATVM LEGATVMVE ERIT, EAM PECVNIA M SINE FRAVDE SVA CAPERE LICETO: ISQVE HAERES, QVI EAM PECVNIA M DARE IVS-SVS DAMNATVSVE ERIT, EAM PECVNIA M DEBETO DARE, QVAM DAMNATVS EST.

S V M M A R I V M.

1. Verbum legandi quomodo accipendum?
2. Differentia legis Falcidiae & Voconiae?
3. Leges, nisi quibus facinora coercentur, praeteritum non respiciunt tempus.
4. Legata nisi in testamentis non relinquuntur.
5. Pecuniae & rei differentia?
6. Lex Falcidia uni dodrantem legare permittit.
7. Dare, legare pro iisdem habentur.
8. Ius testamentorum publicum est.
9. Quarta Falcidiae hodie triens est vel semissis pro heredum numero.
10. Capere quid in b. l. notet?
11. Fraus b. l. est periculum.
12. Cur in l. Falcidia, quae ad omnia legata pertinet, nominatim de legato damnationis caveatur?

[1.]  OVEANVS. Liberam legandi facultatem Lege xii. Tabul. concessam, lege Voconia sublatam, lex Falcidia usque ad dodrantem restituit. Nam lex Furia factum non rescindebat, ut iam superius scripsimus. Verbum autem *legandi* proprie accipendum est ita, ut in legibus novis accipitur: quarum auctoritate verbum hoc est coangustatum: quod in lege xii. Tabul. plenissime accipitur. l. *verbis legis* 12. *de verbo signific.*

[2.] Lex ait, QVI CIVES ROMANI SVNT.) Ius enim testamentorum proprium est civium Romanorum. Nullam porro differentiam constituit lex Falcidia inter censos & incensos: cum lex Voconia ei, qui census non esset, infinitam daret legandi potestatem, teste M. TVLLIO in *praetura urb.* Duo porro erant solennia legum principia, alterum, QVI CIVES ROM. SVNT. alterum QVICVNQ. SENATOR. uti testatur idem M. TVLLIUS in *oratione pro Rabo. Posth.* & in *oratione pro Aul. Cluent.* legibus iis, quarum initium erat, QVICVNQ. SENATOR. plebs non tenebatur, in qua Equites numerabantur. Quarum autem initium erat, QVICVNQ. CIVIS ROM. iis legibus cunctus populus tenebatur.

[3.] Ait lex, QVI EORVM POST HANC LEGEM ROGATAM.) Nulla lex de iure civili praeteritum tempus respicit: leges, quibus facinora coercentur, interdum praeteritum tempus respiciunt, si eiusmodi facinora sunt, quae sua sponte vitanda fuerint, nulla etiam lege lata: uti testatur M. TVLLIUS in *Praet. urb. Rogatae* autem leges dicuntur, quas Populus interrogatur, iubatne leges esse: itaque in tabellis, quibus suffragia serebantur, scripta verba haec erant, VTI ROGAS.

[4.] Lex ait, TESTAM. FACERE VOL.) Neque enim alibi, quam in testamento legata re-

linquuntur. §. *praeterea.* 10. *de fideicom. haered. lib. II. Instit.*

[5.] Ait PAVLVS, VT EAM PECVNIA M EASQ. RES.) Pecunia ea, quae in computacione patrimonii sunt, Res vero ea etiam, quae sunt extra patrimonium, complectitur. l. *rei* 5. & 23. *de verbo sign.* Vtique autem nomine etiam *iura* & *actiones* continentur. l. *pecunia* 4. *de verbo sig.* Interdum *pecunia* pro universo patrimonio sumitur, ut in l. nam quod 14. §. ult. *ad Trebel.*

[6.] Lex ait, QVIBVSQVE.) Vni pluribusve: uti enim iam diximus, dodrantem haereditas uni per legem Falcidiā legare licet. Quod per legem Voconiam non licebat. Hoc autem ita accipendum est, si modo cum eis factio sit testamenti. §. *legari.* 24. *de legat. lib. II. Instit.*

[7.] Lex ait, DARE LEGARE.) Pro eodem dixit; omne namque legatum donatio est. l. *legatum* 116. *de leg. I.* Ita verbum hoc accipendum est in l. *ex facto* 17. §. *si quis ita carverit 3. ad Trebel.* Est autem *Legare*, auctore VLPIANO in *Instit. tit. de leg. imperative* & *legis modo* aliquid alicui relinquere, hoc modo, *Tibi habe, vindica, praesume, praecipito: haeres dato, finito capere.* Quod autem precative relinquitur, *Fideicommissum* appellatur.

[8.] Ait lex, IURE PUBLICO.) Iure testamenti. Quod ex alia causa datur, ut puta emptio-nis, stipulationis, donationis, iure privato datur. Ius testamentorum publicum est, & lege XII. Tabul. constitutum, sine qua supremae hominum voluntates non valerent, quasi in tempus alienum collatae: de quo alibi scripsimus. Alter *ius publicum* accipitur, cum *ius in publicum & privatum dividimus.* l. I. *de iustit. & iure.*

[9.] Ait lex, QVARTAM PARTEM HAERED.) Hodie trientem vel semissim pro haeredum numero. in *Novel. I. de haered.* & *Falcid. in secund. part. de quo scrips. lib. II. lecti. vari.*

& ad l. i. de vulg. Porro; quod ait Iurecons. HAEREDITATIS, sic accipendum est, vel portionis, in qua quis institutus est: nam in singulis haeredibus, propter legata ab eis relictam nominatim poni constat *Falcidiae* rationem. l. in singulis 77. hoc titu. quasi pluribus haereditatis: de quo plene dicemus ad d. l. in singulis.

[10.] *Ait lex, HAEREDES CAPIANT.*) Capere est cum effectu: ex quo intelligimus, in *Falcidia* gravari haeredem non posse.

[11.] *Lex ait, SINE FRAVDE SVA CAPE RE LICETO.*) Sine metu poenae legis *Furiae*. *Fraudem & periculum* coniunxit M. TULLIUS in praet. urb. & Iurecons. poenae praeparationem fraudem appellari scribit, in l. aliud est *fraus*. 131. de verb. sign.

[12.] *Ait lex, DARE IVSSVS, DAMNATVS VE ERIT.*) Cum lex *Falcidia* ad omnia legata pertineat, quid est, quod in ea nominatim cavetur, ut legatum damnationis haeres dare debeat? Nam utrumque hoc *IVSSVS & DAM-*

NATVS proprium est legati, per damnationem relieti. Et dicendum est de hoc genere legati, legem nominatim cavissem, quia, cui per vindicationem legabatur, is rei vindicationem haberet: hoc est intendere & agere posset, rem suam esse, quamvis sua ipse manu capere non posset, sibi que ius dicere. Cui consequens est, quod PAVLVS scribit tit. de usufr. lib. III. sententiarum, usumfructum per vindicationem relictum ipso iure constitui, per damnationem autem relictum praestari ab haerede: hoc est, actione duntaxat personali peti posse. Quo siebat, ut quae in rerum natura non erant, & alienae res, hoc genere legari possent, per vindicationem non possent, nisi quae testatoris erant iure Quiritum, & quidem duobus temporibus, testamenti & mortis, teste VLPIANO in tit. de legat. in Instit. Dici etiam potest, quia omnia legata ab haerede praestentur, etiam per vindicationem relicita videri haeredem iussum & damnum dari.

§. i. Ait PAVLVS: *Lex Falcidia etiam ad eos, qui apud hostes moriuntur, propter legem Corneliam pertinere videtur: quod ea lex perinde eorum testamenta confirmet, atque si in civitate deceperint: propter quam fictionem & lex Falcidia, & omnes testamentariae pertinent, quae tamen possint locum habere.*

S V M M A R I V M.

1. *Lex Falcidia pertinet etiam ad legata, quae in testamentis captivorum relinquuntur.*
2. *Imo & in testamentis, quae iure postliminii confirmantur.*
3. *Per legem Corneliam testator suum & necessarium heredem habere nequit.*
4. *Iure postliminii suum heredem quis habere potest.*

[1.]  OVEANVS. Lex CORNELIA testamentaria, eorum, qui apud hostes decedunt, testamenta ante captivitatem facta confirmat, ac si prima hora captivitatis deceperint. l. eius 8. de testa. Quare & ad legata in his testamentis relictam, lex *Falcidia* pertinebit, quasi relictam a civibus Romanis fictione legis *Corneliae*. Neque obstat, quod captivitate irritum fiat testamentum. l. si quis filio 6. §. irritum 5. de iniusto testamento. Ipso namque iure irritum fit, sed lege *Cornelia* confirmatur dicta l. si quis. §. quatenus 12. Eadem responsio accommodari potest ad l. itinere 3. de verb. sign. Captivi quidem ipso iure haeredem esse non posse: sed lege *Cornelia* captivi iudici haereditatem. l. bona 22. de capti. l. lege *Cornelia* 12. de testam. Nam & novis legibus haereditates deferri possunt. l. 2. unde leg.

5. *Per l. Corneliam tamen quis legitimum heredem habet.*
6. *Non omnium, qui apud hostes deceperunt, testamenta lex Cornelia confirmat.*
7. *Quando lex Cornelia ad legata in secundis tabulis relicita pertineat?*

[2.] Quod autem diximus de testamentis, quae lege *Cornelia* confirmantur, dicendum erit de testamentis, quae iure postliminti confirmantur. d. §. quatenus 12. ut enim lex *Cornelia* finit, prima hora captivitatis deceperint testatorem, hoc est, in civitate deceperint: ita iure postliminii, qui ab hostibus revertitur, singit nunquam ab hostibus captus, ut scribit Imper. in titu. quib. mod. ius patr. potest. solvi. lib. 1. Instit.

[3.] Quaero, num per legem *Cornelia* suum haeredem & necessarium habere testator possit? Et respondeo, non posse proprio suum haeredem vel necessarium captivi dici. l. lege *Cornelia* 12. de testam. Itaque, sicut Imperator suum haeredem captivi appellat, improprie appellat. Appellat autem ea de causa, quia & filius, & servus captivi, invitus obligatur haereditati: nec enim proprio suum haeredem habet, qui in potestate filium non habet: Neque proprio necessarium haeredem habet, qui ser-

vum non habet in potestate. *d. l. lege Cornelia.* Neque vero id effici per legem *Corneliam* potest, ut, qui ipse possidetur, & habetur, quem in potestate habeat. Repugnat namque *Haberi* & *Habere*. Vnde sit, ut instituta usucatio captivitate interrumpatur, neque fictione legis *Corneliae*, aut *iuris postliminii* adiuvetur. *l. si iis, qui pro emptore 15. de usucap. l. in bello 12. §. factae 2. de capt.*

[4.] Iure autem postliminii fieri potest, ut suum haeredem quis habeat. *§. interdum. 4. de haered. quae ab intestat. def.* neque enim absurdum est, eum, qui in hostium potestate est, & ab hostibus habetur, singi a patre haberri, & in eius esse potestate, in quo ius postliminii plenius est, quam legis *Corneliae*.

[5.] Legitimum autem haeredem, per legem *Corneliam*, qui apud hostes decepit, habere potest, cum legitimus haeres non habeatur, quemadmodum sius & necessarius. *l. bona 12. de capt. l. si pater 15. de suis & leg. haered. l. pater 10. §. ult. de capt.*

[6.] Non omnium autem testamenta, qui apud hostes decesserunt, lex *Cornelia* confirmat, sed eorum duntaxat, qui testamenti factionem

tempore captivitatis habent: nam in lege *Cornelia* eius persona demonstratur, qui testamentum facere potest. *d. l. pater 10. §. ulti. de capt.* Sane per accidens impuberum testamenta lege *Cornelia* confirmantur, hoc est, confirmato principali testamento: itaque si pater in civitate decepit, & filius impubes apud hostes, ad impuberis testamentum non pertinebit lex *Cornelia*: cum patris testamentum, qui in civitate decepit, ad legem *Corneliam* non pertineat. *l. lex Cornelia 28. de vulg.*

[7.] Itaque ad legata, relictam in secundis tabulis, tum demum lex *Cornelia* pertinebit, cum ad ipsas tabulas pertinere poterit. Quamobrem non sufficiat similitudo mortis & captivitatis confirmandis eorum testimenti, qui apud hostes deceidunt, causa illa est, quod captivitas capitum diminutio est, qua constat irritum fieri testamentum. *l. qui ex liberis 11. §. testamento 2. de bono. poss. secund. tab.* In hoc sane servitus morti comparatur, quod utroque modo caput de civitate eximitur, & quod utroque modo filius de patris potestate exit. *l. Gallus 29. §. & quid si tantum 5. de lib. & posth.*

§. 2. Ait PAULVS. Ad eos, qui, omissa causa testamenti, possident haereditatem, non pertinet lex Falcidia, sed per edictum Praetoris inducitur potestas legis: §. 3. Idemque est si iurisiurandi conditio remissa sit.

S V M M A R I V M.

3. *Omissa causa testamenti, si hereditas ab intestato possideatur, Praetor legatariis utiles actiones dat, ac si adita fuisset.*
2. *Atque inde quoque heredi retentionem permittit legis Falcidiae.*

[1.]  **OVEANVS.** Non adita ex testamento haereditate, nihil in testamento relictum valet. *l. eam, quam 14. C. de fideicom. l. i. de vulg.* Omissa itaque causa testamenti, intercidunt legata. Verum, si haereditas ab intestato possideatur, legatariis utiles actiones Praetor pro suo imperio dat, non secus atque si haereditas adita fuisset. *l. i. si quis omiss. caus. testam.* Quemadmodum & iis, quibus sub iurisiurandi conditione legata sunt relicta, quam conditionem remittit Praetor. *l. quae sub conditione 8. de conditi. inst. & l. non dubitamus 20. de condi. & demon.* **CICERO** in *Praet. urb.* *Das bonorum possessionem ei, qui non iuravit.*

[2.] Cum igitur Praetor legata tueatur, omissa ex testamento haereditate, aequum est, eum

3. *Differunt omittere causam testamenti & suspectam dicere hereditatem.*
4. *Cur Praetor legatorum servandorum causa non cogat institutum heredem adire?*

quoque haeredi consulere, & permettere retentionem legis *Falcidiae*. *l. quia tamen 6. si quis omiss. caus. testam.* quo beneficio haeres privandus non est, quamvis id egerit, ut intercidint legata. Iure namque suo haeres facere videtur, qui delatam ex testamento haereditatem mavult ab intestato possidere. *l. quoties 200. de reg. iur.* Neque obstat *l. beneficio 60. & l. haereditatum 68. §. ult. hoc tit.* quibus in locis *Falcidia* privatut haeres, quia rem illicitam fecit, rem haereditariam subtrahens, & rem haereditariam suam esse pertinaciter contendens. Neque aequum videtur, meliorem fieri conditionem legatiorum, destituto testamento, quam si adita haereditas fuisset. *l. Marcellus 3. ad Trebel.* Neque movet, quod, qui suspectam haereditatem dicit, *Falcidiae* commodo privat. *l. nam quod 14. §. qui compulsus 4. l. ita tamen 27. §. qui suspectam 2. ad Treb.*

[3.] Aliud namque est, *omittere causam testamenti*, aliud *suspectam haereditatem dicere*, qui namque suspectam dicit, in totum haereditate abstinet, ut si fideicommissario postulante adire non cogatur, bona concedi creditoribus oporteat, & demortui nomine vendi: qui autem causam testamenti omittit, ab intestato haereditatem possidet, & creditoribus haereditariis respondet, &, si bona vendi necesse sit, eius nomine venduntur.

[4.] Merito dubitaverit quis, quamobrem Praetor legatorum conservandorum causa non cogat haeredem institutum adire, quemadmo-

dum cogit fideicommissi universalis conservandi causa. *l. si quis omissa* 17. *si quis omis. cau. test.* Et respondendum est, legatorum & fideicommissorum particularium causa neminem adire cogi. *l. nam quod* 14. §. ulti. *ad Treb.* Ratio illa est, ne alieni compendii causa oneribus haereditariis invitus quis implicantur; quod non accidit, cum ex *Trebelliano* haereditas restituitur: ita enim restitutio fit, ut in fideicommissarium actiones transferantur. *l. i. l. cogi* 16. *ad Trebel.* At in legatarium, qui iuris successor non est, actiones constat non transferri.

§. 4. Ait PAVLVS: *Sed & si servo suo testator data libertate legavit: quamquam in id tempus, quo liber futurus est, differtur. Item si ei, qui apud hostes est, aut ei, qui nondum natus est, datum sit aliquid, haec lex locum habebit.*

S V M M A R I V M.

1. *Servo proprio fine libertate legatur inutiliter.*
2. *Quid iuris sit de legatis servis nostris relictis?*
3. *An ad legata servis alienis relictā pertineat lex Falcidia?*
4. *Num pertinea ad legata relictā servis communibus?*
5. *Legati dies relictī ei, qui apud hostes est,*

- non cedit, nisi post reversionem.*
6. *An decadente apud hostes Legatario lex Falcidia ad legatum pertineat?*
7. *Falcidia & detrahetur legato, postumo relictō; eiusque legati dies cedit a tempore nativitatis.*
8. *De quoniam postumo h. l. intelligenda?*

[1.]  OVEANVS. SERVO proprio fine libertate inutiliter legatur: ipsi namque haereditati ab ipso haerede legaretur, quod fieri nullo modo potest. Necesse namque est, distinctas esse personas accipientis & praestantis. Data libertate servo, utiliter legas: sed eius legari dies non cedit a morte tua, sed ab adita haereditate. *l. nam cum* 3. quando dies leg. ced. *l. un.* § in novissimo 5. C. de cad tollen. De quibus legatis intelligitur lex, Regula 5. de reg. Caton. Et hoc nimis est, quod Iureconsult. hoc loco ait, *differri legatum in tempus libertatis.* Neque enim ante cedit dies legati, quam libertas competit: frustra namque cederet. *d. l. nam cum* 3. Sane servus, ex parte haeres institutus, non expectat aditionem cohaeredis: a se enim capit libertatem. *l. sed si ex parte* 36. de acquir. haered.

[2.] Quaero, quid iuris sit de legatis relictis servis nostris legatis? Et dicendum est quasi alienis servis legata valere. Sed horum legatorum dies non a morte testatoris, sed ab adita haereditate cedit: hoc est, ex quo servus legatarii factus est ex causa legati. *l. haereditatis aditio* 7. §. ulti. quando dies leg. ced. & d. §. in novissimo 5. de caduc. tollen. Ita quoque, si servus legatus haeres instituatur, haereditatis huius dies a morte

testatoris non cedit, sed ab adita haereditate a cohaerede. *l. ult. §. pen. de vulg.* De qua haereditate intelligere debemus. *d. l. regula Catoniana.* in qua Iureconsult. scribit, *regulam Catonianam non pertinere ad eas haereditates, quarum dies non cedit a morte testatoris.*

[3.] Quaero, num ad legata servis alienis relictā pertineat lex Falcidia, quae de *civibus Romanis* loquitur? Et respondeo, pertinere, quasi ipsis dominis relictā: constat namque ex persona dominorum legata relictā servis censi. *l. si mihi* 12. §. regula 2. de leg. 1. Nam quod dici vulgo solet, *in legatis personam servi spectari oportere:* hanc habet vim, ut servo inutiliter legetur, quod liber factus habere non possit. *l. venditor* 5. §. ulti de leg. 2. *l. & si maxime* 5. de servit. leg.

[4.] Quaero, num lex Falcidia pertineat ad legata, relictā servis communibus? Et respondeo pertinere: & quidem ita, ut de toto legato Falcidia detrahatur: nam totum legatum socio acquiritur. *l. verum* 63. §. ult. pro soc. *l. Plautius.* 43. infra eod. Neque enim ex causa societatis legatum hoc relinquitur, neque in persona haeredis legatum potest consistere, ut iam diximus.

[5.] Ait PAVLVS: *Item si ei, qui apud hostes.*) Ei, qui apud hostes est, utiliter legatur, cum in tempus reversionis legatum differatur, & pro non scripto censeatur, decadente apud

apud hostes legatario. *l. penul. de bis, quae pro non scrip.* Cuius legati dies ante reverisionem ab hostibus non cedit: et si ACCURSIO & BARTOLO aliter videatur. Si enim ante cederet, frustra cederet: cessionis namque effectus est transmissio. *l. 3. & l. haeredis aditio 7. quando dies lega. ced.* Itaque THEOPHILVS cessionem legati definit ad haeredem legati transmissionem, in titu. de leg. lib. 2. Inst. Neque obstat lex, illa 32. §. ulti. de haered. inst. & l. captivum 9. C. de cap. quibus in locis illud duntaxat decidiatur, capto ab hostibus utiliter legari, & iure postliminii legatum id confirmari.

[6.] Quaero, decedente apud hostes legatario, pertineatne lex *Falcidia* ad legatum? Et respondeo, non pertinere, sive pro non scripto habeatur, sive in causam caduci incidat. Pro non scripto habetur, quod iam capto relinquitur. *d. l. pen. de iis, quae pro non script.* *l. si servo meo Stichus 101. de leg. 1.* In causam autem caduci legatum incidere videtur, cum legatarius post testamentum in hostium potestatem pervenit, ibique decessit. Lex autem *Falcidia* ad ea legata pertinet, quae peti possunt, & iure debentur.

[7.] Ait Iureconsultus, *Aut ei, qui nondum.*) De legato reliquo ei, qui nondum natus est, hoc est, posthumo, *Falcidia* detrahitur, cum in tempus nativitatis legatum conferatur; neque ante eius legati dies cedat. Itaque si posthumus non nascatur, legatum pro non scripto ha-

betur. *l. quo loco 20. §. ult. de haered. inst.* Facit *l. si duobus 16. §. ulti. de leg. 1. facit. l. utrum 7. de reb. dub.* Quibus in locis scribunt Iureconsulti, non nato posthumo, legatum etiam per partes Titio & posthumo relictum, solidum ad Titum pervenire. Quae sententia rationem hanc habet, quia pars adscripta posthumo, pro non scripta habetur, posthumo non nato: nam si pro scripto haberetur, posthumus partem ficeret, quemadmodum partem facit legatarius is, qui post testamentum decessit: de quo intelligenda est *d. l. si duobus in princip.*

[8.] Quaero, de quo posthumo loquatur Iureconsultus? Et quidem suo posthumo duntaxat iure vetere legatum relinquiri poterat. *§. posthumo quoque. de leg. lib. 2. Inst.* Nam & solus is posthumus institui iure civili poterat, argu. *l. posthumus 6. de inoff. testa.* quamvis institutionem posthumi alicui Praetor tueretur: haec tenus tamen, ut posthumo alieno bonorum daret possessionem secundum tabulas, & ventrem interea in possessionem mitteret. *d. l. posthumus. & §. posthumus alienus. 26. de leg. lib. 2. Inst. & titul. de honor. post. in princ.* Hodie vero quemadmodum posthumus alienus haeres institui potest ex IVSTINIANI constitutione ita & legatum capere potest. *d. §. posthumo.* Qui posthumi sui, & qui alieni sint, scripsimus ad *l. Gallus 29. de lib. & posthum.* in quibus *nepotes posthumos* non numerari eodem loco demonstravimus.

¶ 5. Ait PAVLVS: *Ad municipum quoque legata, vel etiam ea, quae Deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet.*

S V M M A R I V M.

1. *Municipes quinam dicti?*
2. *Civitati imo & civitatis parti legatum relinquiri potest.*

[1.]  OVEANVS. *Municipes* cuiusque civitatis cives hodie appellantur. Olim *municipes* appellabantur, qui munera in civitate nostra capere poterant, & honores gerere. *l. 1. ad municip. de quo AVL. GELLIVS.*

[2.] Civitatibus itaque, quae sub Imperio Rom. erant, legatum relinquiri poterat ex D. NERVAE constitutione: quod ius autore D. ADRIANO Senatus diligentius constituit, ut testatur VLPIANVS in titul. de leg. in Inst. Neque refert, an civibus, an civitati legatum relinquatur: nam & civibus reliquum, civitati reliquum intelligitur. *l. civibus 2. de reb. dub.* Neque civitati modo legatum relinquiri poterat,

3. *Quinam fuerint Dii, quibuscum olim testamendi factio erat?*

verum & vico, hoc est, civitatis parti. *l. si haeres 35. §. ulti. de lega. 1.* Neque enim D. NERVAE constitutionem civitatibus legata relinquiri non poterant, quasi incertis personis, ut neque haereditas: de quo scripsi ad *l. quidam Proculum 30. de vulg. Collegiis item legata relinquiri coeperunt ex S. C. auctoritate, quod sub D. MARCO factum est. l. cum Senatus 20. de rebus dub.* quare & ad haec legata lex *Falcidia* pertinebit.

[3.] Ait Iureconsult. *Vel etiam, quae Deo relinq.*) Cum certis Diis olim factio testamenti fuit. Hi autem erant, VLPIANO teste in tit. de haered. instit. Iupiter Tarpeius, Mars Gallicus, Minerva Meliensis, Hercules Gallicanus, Apollo Didymaeus, Cybele mater deorum, quae Smyrnae colebatur, Coelestus Salinenis, qui Carthagine colebatur: praeter hos institui nullus Divorum poterat. Ex quo sequitur, illis

solis legata relinquere potuisse: iis namque recte legamus, qui haeredes institui possunt. Neque iniquum videri debet, si de legatis, Deo relictis, quarta detrahatur: cum rebus iis dii non indigent, quas ipsi mortalibus ad usum vitae tribuerunt. Sane de legatis, relictis Principi, Falcidiam detrahi constat, qui in terris potestate proxime ad Deos accedit. l. in legatis 4. C. ad legem Falcidiam.

§. 6. Ait deinde PAVLVS: Non solum autem ad res proprias testatoris legatas, sed ad alienas quoque lex pertinet: §. 7. Et omne, quod ex bonis defuncti erogatur, refertur ad hanc legem, sive in corpore constet certo incerto: sive pondere, numero, mensura valeat: aut etiam, si ius legatum sit, aut ususfructus, aut quod in nominibus est.

S V M M A R I V M.

1. Falcidia ad ea quoque pertinet, quae e patrimonio nostro erogantur.
2. Ab hac tamen regula excipiuntur instrumenta praediorum domino relictorum: quae uxoris causa enta sunt; & quaedam alia.
3. Res, quae legantur, aut propriae sunt aut alienae.
4. In propriis communies & res heredum connumerantur.

[1.] **G**OVEANVS. *Falcilia* ad ea pertinet, quae ex patrimonio nostro erogantur, si modo voluntate nostra erogentur. l. cum pater 60. §. ulti. & l. alienus 61. hoc nostro titul. Facit §. item 8. bac eadem lege. Quibus in locis deciditur, neque ad legem Falcidiam pertinere, quod haeres propter suam contumaciam amplius solvit, delato iureiurando in item legatario: neque amplius iusto pretio in rem alienam comparandam sua stultitia impedit: neque item quod mortis causa ab haerede capit legatarius: id enim sua voluntate haeres dat, de quo dicemus ad d. §. item.

[2.] Excipiuntur ab hac regula instrumenta praediorum domino relictorum. l. si praediorum. 15. C. eod. titul. Excipiuntur, quae uxoris causa empta, parataque sunt, quae a lege Falcidiam nominatim excipiuntur. l. si ususfructus 81. hoc titu. Excipiuntur, quae ita relinquuntur, ut ad legatariorum haeredes transeant. Novel. sed & in ea 119. c. 2. C. eod. Excipiuntur, quae ad pias causas relinquuntur. Novel. similiter 131. c. 12. C. eod. Libertates excipi, non est necesse, cum legari proprie non dicantur. arg. l. in generali 80. de verb. sign. Lex Fusia Caninia ad libertates testamento datas pertinebat, quae a IVSTINIANO sublata est. C. & Inst. de lege Fus. can. toll.

5. Res alienae quoque legari possunt.
6. In rebus alienis numerantur & res nullius.
7. Secunda divisio ex rerum ipsarum differentia sumitur.
8. Quae pondere, numero mensurave constare videantur?
9. Ususfructus, licet ius sit, divisionem tamen recipit.
10. In nominibus esse quid dicatur?

[3.] Kerum porro earum, quae ex patrimonio nostro erogantur, duplum ponit Iureconsultus divisionem: prior est ex ratione dominiorum, secunda ex rerum ipsarum differentia. Res igitur, quae legantur, aut propriae sunt, aut alienae: & propriae quidem hodie quoquo iure, sublata dominiorum differentia. l. unica C. de nudo iure quir. toll.

[4.] In propriis autem rebus & communies comprehendere debemus: quod enim commune est, nostrum appellari potest. l. recte 25. de verbo. signif. Sed ea pars duntaxat in legato est, quae nostra est: neque alteram partem tenetur haeres redimere. l. servi electione 5. §. ulti de leg. 1. De quo IOANNES BOSSIANVS, vetus interpres dubitavit. In propriis praeterea rebus & haeredum res connumerari debent, cum eadem persona haeredis & testatoris censeatur, nam legari haeredum res posse constat. §. non solum. 4. de leg. lib. 2. Inst. Idque legatum utique valet, sive testator rem haeredis esse sciverit, sive ignoraverit. l. unum ex familia 67. §. si rem tuam 8. de leg. II. licet in legato rei alienae securus sit, quemadmodum mox dicemus. Sed ratio Falcidiae in rebus haeredum ita poni debet, ut res haeredis legata in dodrantem computetur: ita fiet, ut & quadrantem haereditatis haeres retineat, & rei suae pretium. Exempli causa. Qui in bonis centum habet, si rem haeredis legit, quae sit viginti, de patrimonio suo quinqua-

quagintaquinque duntaxat legavit: nam huiusmodi legatum in contributionem venit. *l. pater* 14. §. *avia* 1. *hoc tit.* cum in omnibus legatis praestandis patrimonii ipsius testatoris ratio habeatur. *l. in ratione* 11. §. *quod vulgo* 5. *hoc. tit.*

[5.] Alienas item res legari posse constat, §. *non solum*. 4. *lib. 2. Inst.* quae & ipsae ex nostro patrimonio intelliguntur erogari, cum earum pretium erogetur. Tria autem necessaria sunt ad hoc, ut res alienas redimere haeres cogatur. In primis, ut eius rei commercium sit. *l. sum servus* 39. §. *ult. de leg.* 1. Si enim eius rei commercium non sit, neque rem, neque aestimationem praestabit haeres: nisi forte per fideicommissum relicta res sit: tum enim aestimationem praestabit haeres. *l. sed si res aliena* 40. *de leg.* 1. Secundo requiritur, ut testator rem alienam esse sciverit: id quod legatarius probare tenet. *d. §. non solum. de leg. lib. 2. Institu.* facit lex, unum ex familia 67. §. *si rem tuam* 8. *de leg.* II. Tertio requiritur, ut iusto pretio res emi possit. *l. non dubium* 14. §. *ultimo, de leg.* III. *l. si domus* 71. §. *in pecunia* 2. *de legat.* I. Facit *l. alienus* 61. *infra b. t.*

[6.] In rebus autem alienis illae quoque numeranda sunt, quae in nullius bonis sunt, cuiusmodi sunt res haereditariae. *l. l. de re. divi.* Quandiu namque haereditas iacet, res dominum non habet. Vnde fit, ut haeres furti non agat, eius rei nomine, quae ante aditam haereditatem furto sublata est, sed duntaxat expilatae haereditatis crimen intendat. *l. l. de cri. exp. haered.* De quo M. TULLIUS in Epist. ad Trebatum, cuius principium est, ET SI SERO. Lex autem Falcidiam ita ad res alienas pertinet, ut de iusto earum pretio quarta portio detrahatur.

[7.] Divisio secunda ex rerum ipsarum differentia sumitur. Res enim quae legatur, interdum certum corpus est, quod Dialectici individuum τὸ οὐτίας appellant, Iurecons. speciem. *l. cum res* 47. *de legat.* I. Id autem sive *corpus*, sive *individuum*, sive *species*, vel *certo nomine* significatur: ut cum Stichum dicimus: vel digito ostenditur, ut cum quis legat frumentum, quod in illo horreo est: cum legat hunc hominem, Stichum ostendens. Interdum & quadam descriptione demonstratur, ut cum testator legat filium Arescuae. Sane in actione, quae appellatur *Certi condicio*, CERTVM non pro certo corpore accipitur, sed pro eo, de quo apparet, quid, quale, quantumque sit: ut cum quis stipulatur centum modios frumenti Africi optimi: quamvis enim certum corpus non stipulatur, certum tamen stipulari dicitur. *l. ubi autem non apparet* 75. *de verbo. obligat.* In actione autem *Si certum petatur*, CERTVM, pro pecunia numerata accipitur. Nam reliquae omnes res sive pondere, sive mensura constent, per conditionem triticariam petuntur, non per actio-

nem *Si certum petatur.* I. 1. *de cond. triticar.* Sed cum certorum quaedam dividuitatem non recipient, ut Stichus, ad aestimationem necessario decurrentum erit, ut lex Falcidiam locum habere possit. Id quod & in servitutibus legatis, & in factis fieri videmus. *l. si is, qui quadrangenta* 80. §. *ulti. hoc titu.* Incertum autem corpus genus appellant Iureconsulti: ut qui hominem legat, incertum corpus legare dicatur: non quod hominis notio, quae genus appellatur, corpus sit: neque enim tangi cernive potest: Sed quia huic notioni corpora subsunt, ut scribit MAR. TULLIUS in Topicis. Neque existimandum est, legem Falcidiā ad omnia corpora incerta pertinere, sed ad ea duntaxat, quae utiliter legantur: nam fundus generaliter inutiliter legatur: triticum generaliter inutiliter legatur, mensura non apposita: animal generaliter inutiliter legatur, l. ita stipulatus 115. *de verb. obligat.* I. *cum post* 69. §. *gener.* 4. *de iure dot.* I. *triticum* 94. *de verb. oblig.*

[8.] Ait Iureconsult. Sive pondere, numero, &c.) Quae appendimus, numeramus, vel metimur, pondere, numero, mensurave constare videntur: quia sine iis ad nihil rediguntur. Inutiliter namque & stipulatur, & legat, qui triticum stipulatur. d. l. *triticum. de verb. oblig.* Eae autem res una demonstratione ad certitudinem redigi possunt. I. *in ratione* 30. §. *diligenter* 2. *hoc. titu.* ut, vinum, quod in illis dolis est: aut, vinum, quod ex illa vinea nasceretur.

[9.] Ait PAVLVS: Aut etiam si ius legatum sit, ut ususfructus.) Ususfructus quamvis ius sit, tamen divisionem recipere potest: quia huic iuri corpora subsunt, hoc est, fructus, qui dividendi possunt. §. *si ususfructus* 9. *bac l. nostra.* a quibus fructibus re ipsa ususfructus non differt, quem vulgo *usumfructum causalem* appellant. Aliae autem servitutes ita ad legem Falcidiā pertinent, ut de earum aestimatione quarta detrahatur. *l. si is, qui quadrangenta* 80. §. *ulti. infra eod.* cum divisionem nullam recipient. Idem dicendum est de operis servi legatis. d. §. *si ususfructus.* Idem dicendum est, si factum legetur, d. §. *si is, qui quadrangenta.*

[10.] Ait PAVLVS: Aut quod in nominibus est.) In nominibus esse dicitur, quod in tabulis debetur: quod quamvis nostrum non sit, quia vindicari non potest: tamen quia nobis debetur, nostrum recte appellatur: cum autem legantur ea, quae in nominibus sunt, actiones haeres legatario cedere tenetur. I. *ex eo* 6. C. *ad l. Falcid.* Neque movet, quod lex Falcidiam de re, & pecunia loquatur: nam & rei appellatione, & pecuniae, & bonorum, & meorum, actiones continentur. I. *rei* 5. & 23. I. *pecuniae* 222. I. *bonorum* 208. I. *meorum* 91. *de verb. signif.* l. *si legatus* 30. §. *ulti. ad Trebell.* Huc pertinet l. *qui chirographum* 59. *de lega.* III.

§. 8. Ait PAVLVS: *Item si ita legatum sit, HAERES MEVS SEIO PENVM DATO: SI NON DEDERIT, DECEM DATO: quidam putant, omnimodo in legato decem esse: penum autem mortis causa capi, nec in Falcidiam id imputare haeredem posse. Ego autem didici, si incontinenti haeres penum solverit, videri hoc legatum esse, & in legem Falcidiam imputari posse. Et quod dixi, IN CONTINENTI, id accipiendum cum aliquo spatio. Quod si, iam mora facta, solverit haeres penum, tunc nec legatum eum accepisse, nec in Falcidiam imputari posse: nam enim transfusum legatum esse, & decem deberi. Idemque erit, etiam si ab initio ita legatum datum sit, SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO. quia hic penus non est legata: & penus si datur, mortis causa capitur, quia deficit legati conditio.*

S V M M A R I V M.

1. *Quod mortis causa capitur a legatario ad legem Falcidiam non pertinet.*

[1.]  OVEANVS. Docuit Iureconsultus ad ea, quae ex testatoris patrimonio erogantur, legem Falcidiam pertinere. Nunc docet, ita demum legem Falcidiam pertinere, si ex voluntate testatoris erogentur. Quod enim mortis causa capitur a legatario, quamvis de patrimonio testatoris erogetur, ad legem tamen Falcidiam non pertinet: id enim sua voluntate haeres dat, ut legati onus defugiat. Itaque in *l. acceptis* 93. in illis verbis, **NAM IN CENTVM**, generaliter definit Iureconsultus Falcidiam locum non habere in his, quae mortis causa capiuntur. Neque obstat. *l. penult.* *C. ad leg. Falcid.* Nam eius legis decisio non egreditur casum propositum. Id quod ipse non obscure significat Imperator illis verbis, **QVARE NON IN PRAESENTI CASV, &c.** In quo Imperator ipsi etiam testatori consulit, cuius testamentum scriptus haeres, nullo ex aditione proposito commodo, facile destituat. *Mortis causa capionem* proprie accipimus eam capionem, quae nomen non habet, cui mors occasionem dedit. *l. mortis 1. de don. caus. mort.*

[2.] *Ait Iurecons. SI INCONTINENTI HAERES PENVM SOLVERIT, VIDERI HOC LEGATVM ESSE, &c.)* Neque obstat *l. 1. de penu leg.* In qua Iureconsultus penum in praestatione esse ait. Neque enim ex eo sequitur, penum legatam non esse, quia in praestatione duntaxat sit. Eo namque in petitione non est, quia post moram haeredis, penoris legatum ademptum intelligitur sub conditione, eo videlicet casu, quo decem peti posse coeperint. *l. si penum 24. quando dies leg. ced.* Et cum ademptum sit penoris legatum, peti non potest. Non igitur recte sit, penum legatam non esse, quia non sit in petitione. Sane uno casu penus peti potest per iudicem, decedente scilicet legatario

2. 3. 4. 5. *Verba & sententia legis exponuntur.*

ante moram haeredis. Quo casu haeres legatarii penum duntaxat petit: cum legatario mora facta non sit, qui non interpellato haerede decesserit. Nam decem, post moram duntaxat haeredis in praestanda penu factam, peti possunt. Non obstat item *l. cum sine 19. quando dies leg. ced.* In qua Iureconsultus ait, *cum ita legatum est, HAERES PENVM DATO: SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO. unum legatum intelligi, & statim peti posse.* Neque enim ait Iureconsultus *unum legatum esse*, sed *unum duntaxat legatum intelligi.* Vnum autem legatum intelligitur, quo ad cessionem diei, & petitionem: sola namque decem peti possunt: & per consequens huius solius legati dies cedit. Quod autem addit Iurecons. *ET STATIM PETI POSSERE:* sic intelligendum est, ut simul atque haeres interpellatus extra iudicium, penum dare recufavit, confessim decem peti possint: neque expectemus, dum penus dari non possit. *l. ita stipulatus 115. de verb. oblig.*

[3.] *Ait Iurecons. ET IN LEGEM FALCIDIAM IMPVT.)* Nam lex Falcidia ad legata pertinet, hoc est, ea, quae ex voluntate testatoris erogantur ab haerede.

[4.] *Ait Iurecons. ET QVOD DIXI, IN CONTINENTI, ID ACCIPIENDVM CVM ALIQVO SPATIO.)* Post interpellationem *d. l. si penum 24. quando dies leg. ced.* Spatium autem hoc a iudice definitur. *l. quo 12. rem rat. hab. l. quod diximus 105. de solut.*

[5.] *Ait Iurecons. MORTIS CAVSA CAPITVR.)* quamvis post moram haeredis penoris legatum ademptum intelligatur, & transfusum in legatum decem: tamen ante item contestati penus praestita, ab onere legati haeredem liberat. *l. 1. de penu leg. l. cum sine 19. quando dies leg. ced. facit l. si insulam 84. de verb. obligat.* Post item sane contestatam penum offerens haeres non audietur, *d. l. si insulam.* Si tamen penum

penum legatarius acceperit, decem petenti puto, aut doli mali exceptionem, aut pacti taciti opponendam. arg. *l. qui in futurum 57. de pact.* Idem dicendum est, si legatum cooperit a conditione, hoc modo, **SI HAERES PENUM NON DEDERIT, DECEM DATO.** Nam penus utique mortis causa capitur, neque in legato est:

sed ab haerede ultro praestatur, ut ab onere legati liberetur. Itaque solida penus praestabitur, sine diminutione legis *Falcidiae*, quamvis ex patrimonio testatoris praestetur. *Penum ex eodam scribit M. TVLLIUS quod penitus reponatur, & recondatur.*

§. 9. Ait **PAVLVS**: *Si ususfructus legatus sit, qui & dividi potest, non sicut caeterae servitutes individuae sunt: veteres quidem aestimandum totum usumfructum putabant: & ita constituendum, quantum sit in legato. Sed ARISTO a veterum opinione recessit. Ait enim, posse quartam partem ex eo, sicut ex corporibus retineri. Idque IULIANVS recte probat. Sed operis servi legatis, cum neque usus, neque ususfructus in eo legato esse videatur, necessaria est veterum sententia, ut sciamus, quantum sit in legato. Quia necessario ex omnibus, quae sunt facti, pars decidere debet: nec pars operaee intelligi potest. Imo & in usufructu, si quaeratur, quantum hic capiat, cui ususfructus datus est: quantum ad caeterorum legatorum aestimationem, aut etiam huius ipsius, ne dodrantem excedat legatum: necessario ad veterum sententiam revertendum est.*

S V M M A R I V M.

1. *Ususfructus tantum ex omnibus servitutibus divisionem recipit.*
2. *Hinc &, si ususfructus legetur, Falcidiae locus est.*
3. *Veteres tamen ICti idem hic iuris esse putavere, atque in reliquis servitutibus.*
4. *A quibus merito differt ARISTO.*
5. *Non idem tamen in operis servi legatis obtinet.*
6. *Usus quoque est individuus.*
7. *Ususfructus servi ab operis servi re nibil differt.*
8. *Sed in usufructu animalium partus & reliqua utilitas continetur.*
9. *An operarum legatarum dies semel cedat?*
10. *In usufructu legato cur aestimatio non necessaria?*

[1.]  **OVEANVS.** Ex omnibus servitutibus solus ususfructus divisionem recipit. *l. 5. de usufr.* Nam ipsi fructus, in quibus ususfructus consistit, divisionem recipiunt, quamvis ius utendi fruendi incorporale sit. Adeo autem in fructibus ususfructus consistit, ut ipsos fructus *usumfructum* interdum appellemus: ut cum dicimus, *Absidente semper usufructu, inutili fieri proprietatem: &, consolidari usumfructum cum proprietate, & usumfructum accrescere.* Itineris vero, & aetus, & viae servitutes individuae sunt, quia in usu duntaxat consistunt: qui quidem individuus est. *l. viae 17. de servit.* neque ulla praeterea res iis iuribus subest.

[2.] Cum igitur ususfructus divisionem recipiat, sicuti & corpora, si ususfructus legetur, & legi *Falcidiae* locus sit: non intelligitur totus ususfructus legatus, sed ea duntaxat pars, quam per legem *Falcidiam* capere potest legatarius. Quod in via secus est: nam tota in legato est,

etiam *Falcidia* interveniente, quia praestari nisi solida non possit. *l. si is, qui quadringenta 80. infra eod.*

[3.] Veteres tamen, quorum interpretatione constat ius Civile, existimabant, idem iuris esse in usufructu, quod & in reliquis servitutibus: neque intelligi posse, nisi facta aestimatione, quae pars ususfructus non esset in legato, quasi ususfructus divisionem non reciperet.

[4.] A quorum sententia merito ARISTO recessit, propter eam causam, quam diximus. Nam, quemadmodum legato fundo, si locus *Falcidiae* sit, ea duntaxat fundi pars in legato est, quam per legem *Falcidiam* legare licet: Ita legato usufructu, pars duntaxat ususfructus legata intelligitur, cum legi *Falcidiae* locus est. Si igitur, qui fundum duntaxat in bonis habebat, alteri proprietatem, alteri usumfructum leget, quartam partem plenae proprietatis regnabit haeres.

[5.] Non idem dicendum est de operis servi legatis. Nam opera, cum in facto tantum consistat, quemadmodum & via in usu, divisionem non

non recipit. *l. operas* 3. de oper. libert. *l. 2. de ann. legat.* Neque obstat *l. si quando* 8. *eodem titu.* ubi pro parte a pluribus patronis operam peti posse, scribit Iureconsult. Nam opera non nisi praeterita petitur, & quae iam edi non potest. Quare aestimatio magis petitur, quae quidem divisionem recipit. *l. in stipulationibus* 54. de verb. oblig. & *l. stipulationes non dividuntur* 72. *eod. tit.* Aestimatio autem operaे servi, ut id obiter dicamus, vel sit secundum ministerium, vel secundum modum. *l. ult. de oper. serv.* Secundum ministerium aestimantur operaе servi mediaстini, servi autem artificis operaе secundum modum.

[6.] *Ait Iureconsult. CVM NEQVE VSVS.)* Separare voluit Iureconsultus operaes ab usu. Nam & usus individuus est. *l. usus. de usu & hab.* Id quod & ACCVRSIUS annotavit.

[7.] *Ait Iureconsult. NEQVE VSVSFRVCTVS.) Operis legatis, usumfructum legatum constat.* *l. operis* 5. de oper. ser. Ita enim eo loco legendum est, non VSVM. Quod ita accipiendum est, quasi ususfructus servi ab operis servi re non differat. Nec enim in fructu servi praeter operaes, operaumque mercedes quicquam reperitur. *l. 2. de usufruct. legat.*

[8.] Quod secus est in aliis animalibus: nam in usufructu bovis, in usufructu ovis partus etiam continentur, & reliqua omnis utilitas, quae ex his percipi potest. Alio tamen iure sunt operaе, alio ususfructus. De quo scripsimus lib. 1. *Letion. variar.* In numerum quidem operaes dividit posse constat, d. *l. in stipulationibus de verb. oblig.* *l. libertus* 15. de oper. libert. Nam si patronus, cui centum operaе promissae sunt, decedat pluribus haeredibus relictis: inter haeredes operaum divisio numero fiet, non partibus

operarum. Neque obstat, quod legatis operis servi, mercedes quoque legato cedunt, d. *l. 2. de usufruct. leg.* Quarum ratione videri possint operaе divisionem recipere; quemadmodum & ususfructus ratione ipsorum fructuum. Nam opera in mercedibus non consistit, sine quibus opera & sunt, & intelliguntur: ususfructus autem ab ipsis fructibus re non distinguitur.

[9.] Illa quaestio indifficilis est, num operaum legatarum dies semel cedat, cum opera in facto consistat, & diurnum officium definiatur. *l. 1. de oper. libert.* Sed magis est, ut semel dies cedat operaum, quemadmodum & ususfructus, quamvis ex faciendo consistat, hoc est, ex utendo fruendo. *l. unica. quand. dies usf. lega. ced.* Et sane, si semel non cederet, ad haeredem legatum operaum, quarum dies post mortem legatarii cederet, non transmitteretur. At transmitti scribit Iureconsultus in *l. 2. de usufr. leg.*

[10.] *Ait Iurecons. SED ET IN VSFRVCTV.)* Usufructu legato, num eadem aestimatio necessaria sit, quae in anno legato, cum iudex inter haeredem & alios legatarios rationem *Falcidiae* habet, plene scribemus ad *l. cum Tis. 55. hoc tit.*

Ait PAVLVS, AVT ETIAM HVIVS NEDODRANTEM EXCEDAT:) Qui fundum duntaxat in bonis habebat dignum C. usumfructum legavit: ut sciri possit, quotannis finiri debeat ususfructus, aestimatio facienda est. Si enim x. quotannis ususfructus aestimatur, post annos VII. & dimidiatum non debebitur, ne legatum dodrantem bonorum excedat. In anno legato circa ullam aestimationem annus expectatur, quo legatum dodrantem excedit. *l. lex Falcidia* 47. *infra eo.*

¶. 10. *Ait PAVLVS: Si quis creditori suo, quod debet legavit, aut inutile legatum erit, si nullum commodum in eo versabitur: aut, si propter representationis (puta) commodum, utile erit, lex quoque Falcidia in eo commodo locum habebit.*

S V M M A R I V M.

In debito creditorи utiliter legato lex Falcidia locum habet.

GOVEANVS. Si creditori leges, quod debes, utile legatum est, si ullum ex legato creditor commodum sentit, puta, exceptionis timore liberatus. Propter quod commodum & *Falcidiam* patitur legatarius, & fideicommissio gravi potest. *l. si deportati* 7. §. *ulti. de legat.* III. Dies item utile legatum facit propter commodum representationis: adeo ut & fideicommissio onerari mulier possit, cui praelegata dos est. *l. cum quis uxori* 2. *de dote praeleg.* De quo plura scri-

bemus ad *l. verbis legati* 5. *infra eod.* Sane si aliud commodum in legato versetur, ut, quia rei legatae dominium statim nanciscitur legatarius, vel quia sumptum facturus non sit in nominis persecutione, neque *Falcidiae* in huiusmodi commode locus est, neque fideicommissio oneratur legatarius. *l. si mulier* 3. §. *si rem* 2. *de leg.* III. Ratio illa est, quod haec commoda ita percipit legatarius, ut de nostro patrimonio nihil decedat. At qui representat, plus solvit. Nam tempore plus solvi constat.

§. 11.

§. 11. Ait PAVLVS: *Si legatarius possessionem nactus est, & non potest avocari res, quia voluntate haeredis errantis nactus est possessionem, dabitur actio haeredi, ut id, quod supra dodrantem est, auferatur.*

S V M M A R I V M.

1. *Interdictum quod legatorum Praetor dat contra eum, qui legatum propria manu capit.*

[1.] **G**OEVANVS: Etsi vindicatio hodie nomine legatorum omnium competit, legatarius tamen sua manu legatum capere non potest: aliud namque est *vindicare*, aliud *sua manu capere*. Quod si fecerit, incivile factum Praetor coercet per interdictum QVOD LEGATORVM: quo possessionem rerum legatarum haeres recipit.

[2.] Quod si haeredis voluntate, quamvis errantis, ad legatarium translata sit possessio, non dat Praetor interdictum, sed *conditionem indebiti*, per quam aufert haeres à legatario partem legati indebitam. Quam & ipsam conditionem indebiti non habet haeres, si sciens & prudens solida legata praestet vel promittat. l. error 9. C. ad leg. Falcid. l. ulti. eod. titu. l.

2. *Condicio vero indebiti datur, si haeredis voluntate ad legatarium possessio est translata.*

patronus 20. de donat. Et hoc nimur est, quod VLPIANVS in Institut. ait, *Legata perperam soluta non repeti*. Ex quo intelligi potest, legatario nullo iure deberi id, quod per legem Falcidiam capere non licet. Si enim iure vel Praetorio, vel Civili deberetur, solutum non repe- teret haeres. Quod autem ait Iureconsultus de errantis voluntate, sic accipiendum est, non quasi in eo erraverit, quod fecit: nam eo casu puto interdictum QVOD LEGATORVM com- petere: cum errantis nulla voluntas sit. l. per errorem 15. de iurisd. omn. iudi. l. 2. de iudi. sed quia Falcidiam locum non habere existimabat ignarus patrimonii. Potest etiam haeres repete- posse possessionem rerum legatarum, ut retentione uti possit, l. linea margaritarum 26. infra eod. de quo plane scripsimus ad l. haeres 21. ad Treb.

§. 12. Ait PAVLVS: *Interdum omnimodo necessarium est, solidum solvi legatario, interposita scilicet stipulatione QVANTO amplius, quam per legem Falcidiam coe- perit, reddi: veluti si, quae a pupillo legata sunt, non excedant modum legis Fal- cidiae. Veremur autem, ne impubere eo mortuo, alia legata inveniantur, quae contribuzione facta, dodrantem excedant. Idem dicetur, & si in principali testa- mento quaedam sub conditione legata sunt, quae an debeantur, incertum est. Et ideo, si haeres sine iudice solvere paratus sit, prospiciet sibi per hanc stipulationem.*

S V M M A R I V M.

1. *Interdum solidum legatario est solvendum.*
2. *Sed cautio cum fideiussore est interponenda, QVANTO AMPLIUS.*
3. *Quae etiam eum comprehendit, qui totum restituere debet.*

4. *Vbi haec locum babeat cautio?*
5. *Ante eventum conditionis ratio Falcidiae non habetur.*
6. *Arbitrum inter atque iudicem quae differen- tia.*

[1.] **G**OEVANVS. INTER- DVM OMNIMODO NE- CESS.) Incerto adhuc ha- beatne locum Falcidia, quae incertitudo legatarios remorari non debet.

[2.] Ait Iurecons. INTERPOSITA SCILI- CET STIPVLAT.) Cum fideiussore. l. 1. §. haec stipulatio 9. titu. seq. cuiusmodi omnes fere sunt Praetoriae stipulationes. l. 1. & l. in Praetoriis 9. de praet. stip. Facit l. 1. ut legat. nom. cav. Haec autem stipulatio si omissa fuerit, per con-

ditionem incerti repetetur. Ut enim per errorem soluta, ita & omissa per errorem condicuntur. l. 3. §. ulti. tit. seq. Sane quibusdam remittitur ista cautio. d. l. 3. & l. cum non facile 6. titu seq. Neque in legatis modo, verum & donationibus causa mortis locum habet d. l. 1. §. in mortis 10. tit. seq. Causa autem interponendae cautionis istius cum fideiussore, illa est, ne lapsu facultatibus legatario, res haeredi pereat, qui necessario solida legata solvit. Nam conditionem indebiti utique haeres habet, qui non sua volunta- te, sed necessario, uti iam diximus, integra

legata solvit. d. §. haec stipulatio. & l. 21 de condic^t. indeb.

[3.] Ait Iureconsult. QVANTO AMPLIUS, &c.) Haec verba eum etiam comprehendunt, qui totum legatum restituere debet. l. 1. §. haec verba II. titu. seq.

[4.] Ait Iureconsult. VELVTI SI QVAE APPVILLO.) Ante secundarum tabularum aperitionem, quae legis consilio clausae manent, legata in primis tabulis relicta, interim solida solvuntur, exacta cautione QVANTO AMPLIUS. Quae quidem cautio apertis deum secundis tabulis committitur, si legata secundarum tabularum cum legatis primarum contributa & commista dodrantem excedant haereditatis testatoris: cuius ratio habetur in legatis secundarum tabularum praestandis, licet in secundis tabulis pupilli versetur haereditas; de quo dicemus ad l. in ratione II. §. quod vulgo 5. infra eod.

[5.] Ait Iureconsult. SVB CONDITIONE.) Ante cuius eventum ratio Falcidiae non ponitur.

Aliud iuris est, si pecunia in dies plures legata sit: nam eo casu, non stipulatio, sed computatio necessaria est: cum certo sciri iam possit, locumne Falcidiae habitura sit. d. l. 3. §. 1. titu. sequente.

[6.] Ait Iureconsult. SINE IVDICE.) Arbitrum Praetor dat ad ineundam quantitatem patrimonii. d. l. 1. titu. seq. quem hoc loco iudicem appellat Iureconsultus, quamvis propriis demum Iudex dicatur, qui absolvere, & condemnare potest: Arbitrus autem datus a Praetore neutrum facere potest. l. cum fideicommissum 7. de confess. De huiusmodi arbitris intelligenda est l. ab arbitro 10. qui satisd. cog. qui neque ad absolvendum, neque ad condemnandum a Praetore dantur, sed ad negotium duntaxat explicandum. Exempli causa: Ad ineundam quantitatem patrimonii, & probandos fideiussores, & alia eius generis. De quo scripsimus lib. II. de iurisdict.

§. 13. Ait PAVLVS: ID QVOD ex substitutione cohaeredis ad cohaeredem pervenit, proficit legatariis. Is enim haeres similis est ex parte pure, ex parte sub conditione baeredi instituto. Sed ea, quae ab eo legata sunt, si omiserit additionem, non augebuntur, scilicet, si ab eo nominatim data sunt, non, QVIS QVIS MIHI HAERES ERIT.

S V M M A R I V M.

1. Quod ex substitutione coheredis ad me pervenit, legata a me relicta auget.
2. Quid autem, si portio coheredis quoque onerata sit?

3. Nec refert, utra ex substitutione portio perveniat?
4. Omessa vero hereditate, coheres legata nominatim relicta praestare non tenetur.

[1.]  OVEANVS. Id quod ex substitutione cohaeredis ad me pervenit, legata auget a me relicta, sive integra haeredis portio, sive pars eius ad me perveniat. Pervenire autem dicitur, quod penes me remanet. l. pervenire 171. de verbor. signif. Esto igitur portio cohaeredis, cui ipse sum substitutus, decem: si quinque ab eo legata sint, ad me non decem, sed quinque duntaxat ex substitutione perveniunt. Si vero nihil a cohaerede legatum sit, tota decem ad me perveniunt. Tam autem quinque, quam decem, augent legata a me relicta: ut ecce, portio mea erat decem, ea tota legata a me sunt: per legem Falcidiā septem & semis tantum legata intelliguntur, accendentibus ex causa substitutionis decem. Tota decem a me relicta in legato sunt, ac si ex viginti haeres essem institutus. Idem dicendum est, si quinque duntaxat perveniant ex substitutione, in quibus quadrans est ipsorum viginti: unde quindecim legare testator

potuit, salva lege Falcidiae. Quod si duo & semis, duntaxat ex substitutione ad me perveniant, hoc est quadrans ipse portionis cohaeredis, vindendum est, quemadmodum poni debeat ratio legis Falcidiae. Et hoc casu relicta a me legata non augebuntur, l. si pupillus 21. §. ulti. infra eod. Itaque quartam habebo utriusque portionis. Ex qua utraque, eveniente conditione substitutionis, videor ab initio institutus: non secus atque si ex parte pure, ex parte sub conditione essem institutus. Neque absurdā & abhorrens est similitudo ista, cum in omni substitutione insit conditio, quae tamen conditionalem non facit substitutionem. De quo scripsimus ad l. qui liberis 8. de vulg. & pup.

[2.] Quid ergo, si eius quoque portio, cui ipse substitutus sum, onerata sit? Esto mea portio decem, cohaeredis item decem: a me octo legata sint, a cohaerede item octo, & hoc casu, eveniente conditione substitutionis, quartam ex persona cohaeredis retinebo. Idem dicendum, quamvis integra mea portio sit. d. l. si pupillus.

[3.]

[3.] Non refert autem, ex utra substitutione portio ad me perveniat, vulgari, an pupillari. Nam & ea pars bonorum testatoris, quae ad me ex pupillari pervenit substitutione, meis legatariis proficit. *l. qui fundum 87. §. qui filium 4. hoc titu.* Cuius rei ratio illa est, quod, quamvis pupillo ex secundis tabulis succedatur, ex patris tamen testamento succeditur. Vnde fit, ut in formula pupillaris substitutionis apponatur particula **M I H I**. Vnde ratio dubitandi in *l. si pupillus 42. de acqui. haered. l. paterfamilias 28. de privil. cred.* Meis igitur legatariis prodest, quicquid ex substitutione cohaeredis ad me pervenit.

[4.] Quod si ipse haereditatem omittam, legata a me relicta nominatim non praestabit cohaeres, nisi quomodo ego praestitissim, cum mihi non fuerit substitutus. Si enim substitutus mihi fuisset, me omittente haereditatem, habita ratione utriusque semissis, legata praestaret, non sua modo, verum & mea, quasi a se repetita. *l. qui fundum 78. §. qui filium 4. hoc tit. Nominatim autem intelligo, nomine, vel cognomine, vel praenomine expresso. l. i. de lib. & postb.* Si enim verbis communibus, **QVIS QVIS MIHI HAERES ERIT**, legata a me relicta sunt, ea cohaeres, quasi a se relicta, solida praestabit.

§. 14. Ait **P A V L U S**: *Si cohaeredis mei portio exhausta sit, mea integra, & illam vindicavero, confundendas esse partes CASSIVS existimat, PROCVLVS contra. In qua specie & IVLIANVS PROCVLO assensit: quam sententiam probabiliorem esse puto. Sed & DIVVS ANTONINVS iudicasse dicitur, commiscendas esse utrasque partes in computatione legis Falcidiae.*

S V M M A R I V M.

1. *Accrescens portio proficit etiam legatariis.*
2. *Prodest quoque, si quasi coniuncto coheredis pars alteri accrescat.*

3. *Idem & locum habet in fideicommissis, ab legitimis heredibus relictis.*

F. 1. **O V E A N V S.** Quemadmodum quod ex substitutione cohaeredis ad me pervenit, legata a me relicta auger, ita & accrescens portio meis proficit legatariis, quamvis iuris potestate, non voluntate testatoris accrescat. Nam & legata, quae apud haeredem remanent, inutiliter puta relicta, efficiunt, ut caeteris legatis aut nihil, aut minus detrahatur. *l. quod si alterutro 78. infra eod.* Neque referre puto, an ideo mihi accrescat, quia cohaeres repudiaverit, an quia per legem aliquam is capere non potuerit. *l. cum in testamento 5. supra de vulga & pupilla.* Quamobrem autem legatariis meis prosit accrescens cohaeredis portio, causa illa esse videtur, quia, repudiante cohaerede, ex parte utraque videor ab initio institutus. *d. l. quod si alterutro.* idque iuris, uti iam diximus, potestate: quod quidem non patitur, ut quis pro parte testatus, pro parte decedat intestatus. De quo scripsimus in libro de iure accrescendi.

[2.] Idem dicendum puto, & si quasi coniuncto cohaeredis mihi pars accrescat: multoque adeo magis, cum id, quod ratione coniunctionis accrescit, prope sit, ut voluntate accrescere testatoris videatur. Quos namque in parte certa coniungis, eos in ea parte personis omnibus anteponere videris, exceptis eorum substitutis, qui expressa adiuvantur voluntate. Sane accrescentis portionis legata nihilo praestabo ampliora, quam is praestitisset, a quo ea relicta erant nominatim. Nam si ita erant relicta, **QVIS QVIS MIHI ERIT HAERES**, idem dicendum puto, quod in substituto. arg. *l. cum in testamento 5. de vulga & pupilla.* in qua ex institutione videri capere dicor id etiam, quod accrescit.

[3.] Idem dicendum de fideicommissis, a legitimis haeredibus relictis: ut cohaeredis accrescens portio fideicommissariis meis prosit: ego autem cum suo duntaxat onere consequar portionem accrescentem. *l. si Titio 61. §. Iulianus 1. de legat. secund. nisi fideicomissa ita relicta sint, QVIS QVIS MIHI HAERES ERIT.*

§. 15. Ait **P A V L U S**: *Si cohaeredem meum post aditam haereditatem arrogavero, non dubitabitur, quin separandae sint portiones perinde, ac si cohaeredi meo haeres extitisset.*

S V M M A R I V M.

1. *Quod ex arrogatione coheredis pervenit non proficit Legatariis, si post aditam hereditatem facta sit.*

[1.]



OVEANVS. Quod ex arrogatione cohaeredis (quae species est acquisitionis per universitatem) ad me pervenit, est, cum legatariis meis proficit, est, cum non proficit. Si enim post aditam a cohaerede haereditatem eum arrogem, nihilo maiora legata praesto legatariis meis: puto, quia nec ex testatoris mea portio augeatur: adita namque haereditate, res testatoris esse definit, & haereditas fit. Quo fit, ut minore, qui haereditatem adierat, in integrum restituto, neque substitutus nisi uno casu admittatur, neque legitimis successoribus locus fiat, sed fiscus quasi ad bona vacanta invitetur. *l. ult. de success. edict. de quo scripsimus lib. II. lection. variar. & in commentario, de vulga. & pupil.* Idem dicendum, si cohaeredi meo haeres extiterim, post aditam videlicet ab eo haereditatem: nam non aditam haereditatem non transmittunt nisi ii, de quibus *lex Theodosiana* loquitur, & qui deliberantes ab hac luce

2. *Proficit autem, si ante aditam a coherede hereditatem eum arrogavero.*

emigrant. §. in novissimo 5. de caduc tollend.

[2.] Si autem cohaeredem meum arrogavero ante aditam ab eo haereditatem, ea portione, quae mihi per eum recta acquiritur ex bonis testatoris, legata a me relicta augebuntur: non secus, atque si ego ex parte, & filius vel servus ex parte, haeredes essemus instituti. Quo casu portio per eas personas mihi quaesita legatariis meis proficit. *l. si pupillus 21. §. si ego 1. & l. maritum 25. infra eod.* Nec est, quod quisquam existimet id propterea fieri, quia instituto servo meo, ego sim institutus. Ipse namque servus institutus & est & intelligitur, & ex testamento haeres existit, quamvis commodum haereditatis mihi acquirat, & cedente die haereditatis si liber reperiatur sibi haereditatem quaerit, vel novo domino, si alienatus sit. De quo scripsimus ad *l. 3. de vulgari & pupilla.* Legata sane a cohaerede, quem arrogavi, vel cui haeres extiti, relicta, nullo casu ampliora praestabuntur, quam is praestitisset, ex cuius persona praestantur.

§. 16. Ait PAVLVS: SI IN ANNOS SINGVLOS legatum sit Titio, quia multa legata, & conditionalia sunt, cautioni locus est, quae in edicto proponitur, QVANTO AMPLIUS ceperit, reddi.

S V M M A R I V M.

1. *Legatum in annos singulos conditionale est, nisi Reip. relictum.*
2. *Cautio QVANTO AMPLIUS in hoc necessaria.*
3. *Quomodo eiusmodi legatum in computationem veniat Falcidiae?*

[1.]



OVEANVS. Si quis ita leget aureos centum, ANNVA, BIMA, TRIMA DIE: unum legatum esse constat, tribus pensionibus solvendum, eiusque diem semel cedere. Si vero ita, DENOS AVREOS ANNOS: plura legata sunt: primi quidem anni purum, annorum sequentium conditionalia, SI LEGATARIVS VIVET. Quae conditio in legato annuo, Republicae relicto, non inest: neque semel, sed per singulos annos legati huius dies cedit, initio scilicet cuiusque anni. *l. 4. de annu. leg. l. cum in singulos 23. cum legib. dua-*

4. *Non mutatur buius legati natura, licet in stipulationem sit deductum.*
5. *Stipulatio annui plures semper stipulationes continet.*
6. *Annuum legatum finitur regulariter morte legatarii.*

bus seqq. quando dies leg. ced. *l. 1. quando usus-fruct. leg. di. ced.* Qua ratione in annuis legatis & stipulationibus annuis ab initio cuiusque anni computandum tempus est praescriptionis xxx. vel xl. annorum. *l. cum notissimi 7. §. in iis etiam 7. C. de praecript. xxx. vel xl. anno.* Neque dubium est, quin praestationi cuique sua debeat opponi praecriptio: sua enim quaeque actione petitur, & suam quaeque diem habet. Cum igitur legatum anni primi purum sit, solvi diminutum non oportet propter legata sequentium annorum: quae certum adhuc non est debitum iri, cum sint, uti iam diximus, conditionalia. §. interdum 12. supra, hac nostra lege.

[2.]

[2.] Cautio itaque necessaria est in Edicto proposita, QVANTO AMPLIUS, &c. cum fieri nulla possit propter incertum conditionis computatio. Quod si ita leges, DENA IN DECEM ANNOS, distinguendum est: vel enim in alimenta legatum relictum est, & eo casu per annos singulos dies legati cedit: neque sequentium annorum legatum legatarius ante decedens transmittit, vel exonerandi haeredis causa, in pensiones decem legati unius collata solutio est: & tum legatum unum est, eiusque dies semel cedit, & ad haeredem universum transmittitur, quandocunque post mortem testatoris decebat legatarius. *l. si cum praefinitione 19. quando dies leg. ced.*

[3.] Quaero, cum iudex inter haeredem & alios legatarios *Falcidiae* rationem habet, quemadmodum id annum legatum, quod morte finiri constat, in computationem veniat? Et Iureconsultus in *l. cum Titio 55. hoc tit. aestimari oportere* ait, *quanti legatum hoc venire posse. Mortuo vero legatario, non aliud spectari oportere, quam quod ex ea causa haeres debuerit.*

[4.] Quaero de stipulatione anni ex legati causa interposita? Et dicendum est, naturam legati non mucari, quamvis in stipulationem sit deductum. *l. si legati 56. de leg. l. l. si stipulatus 4. de usur. l. i. §. si quis 14. ut leg. no cave.* Itaque quemadmodum in anno legato saepius spectatur legatarii conditio, ita & in stipulatione saepius conditio stipulatoris considerabitur: & quemadmodum plura legata sunt, ita & stipulationes plures erunt.

[5.] Idque generaliter dicendum est de stipulatione anni, ut plures semper contineat stipulationes. *l. pluribus 140. de verb. obl. quo loco in stipulatione hac ARGENTVM ID ANNVA BIMA TRIMA DIE QVOQVE DIE DARI? plures inesse stipulationes* dicuntur: illam nam-

que vim habet ea stipulatio, ut certi argenti pars tertio quoque anno peti possit. Et si adiectae usurae sint, eius duntaxat partis usurae debeantur, in cuius solutione cessatum est. *l. Seia 12. de usur. l. lecta 40. si cert. pet.* Quia tamen conditio stipulantis semel spectatur, ut intelligamus, cuinam ex ea stipulatione acquiratur, quod in legato secus est. *l. si filius 11. de verb. obl. l. quae legata 13. de regu. iur. Stipulationem hanc anni unam esse*, ait Iurecons. in *l. senatus 35. §. ulti. de don. cau mort.* Neque distinguit inter eas anni stipulationes, quae finitum habent annorum numerum, ut in *d. l. pluribus*. & eas, quae infinite concipiuntur, hoc modo, *ANNVA DENA?* quas perpetuas esse constat *l. si Stichum 16. §. ult. de verb. oblig.* licet illud apponatur, *QVOAD VIVAM:* cum tempus non sit modus tollendae obligationis. *l. obligationum fere 44. §. placet. l. d. titu.*

[6.] Hoc tamen casu haeredem stipulatoris doli mali exceptio submovebit. *§. at si ita 3. de verb. obli. lib. III. Inst.* Qua eadem exceptione repellitur, qui aliter vindicat servitatem, quam est constituta: quamvis servitus ipso iure neque ex die, neque ad diem constitui possit. *l. 4. de servit.* Annuum vero legatum, uti iam diximus, morte finitur legatarii: nisi adiecerit testator, ET HAEREDIBVS: quo casu in infinitum haeredibus legatum debetur, non tantum proximis haeredibus. *l. in annuis 22. C. de legat.* Quod aliter est in usufructu. *l. cum antiquitas 13. C. de usufru. leg.* Nam *baeredis* appellatio in usufructu legato proximum haeredem non egreditur: puto, ne semper abscedente usufructu inutilis proprietas reddatur. Propter quam causam placuit certis modis finiri usumfructum, & ad proprietatem reverti, quae *consolidatio* appellatur.

q. 17. Ait Iureconsult. Id, quod natura haereditati debetur, & peti quidem non potest, solutum vero non repetitur, non esse computandum in haereditate quidam putant. Sed IVLIANVS & hoc ex eventu augere patrimonium, aut non augere existimat: & haereditario iure id quoque capi: ideoque in restitutionem haereditatis venturum.

S V M M A R I V M.

1. *Obligationes sunt vel civiles vel naturales & civiles vel naturales tantum.*
2. *Naturales tantum actiones non pariunt, nisi legitimae sint conventiones, aut ex quibus Praetor actionem dare promisit.*
3. *Servus etiam naturaliter tantum obligatur.*
4. *Sine tutoris auctoritate pupillus civiliter quoque non obligatur.*
5. *Nisi factus sit ex ea re locupletior pupillus.*
6. *Hinc & in eum actio datur utilis post rescriptum D.PII; quatenus factus est locupletior.*
7. *An pupillus, non factus locupletior, si pubes per errorem solverit, in integrum restituatur?*
8. *Tolluntur obligationes naturales vel pacto iusto, vel iureiurando.*
9. *Tolluntur & nuda voluntate.*

[1.] **G**OVEANVS. Obligationum quaedam *civiles* duntaxat sunt, quaedam *naturales & civiles*, quaedam *naturales tantum*. Obligatio civilis tantum est *stipulatio*, inventum scilicet iuris civilis. Naturales & civiles simul, sunt *conventiones iuris gentium*, ex quibus iure civili actio nascitur: quales sunt, quae in proprium nomen transeunt, & innominatae, quae causam habent. *l. iuris gentium 7. de pact.* ex quibus non solum iure civili dari oportet, verum etiam iure naturae ac gentium. *l. cum amplius 84. §. ulti. de regu. iur.* Is (ait Iureons.) *natura debet, quem iure gentium dare oportet, & cuius fidem sequuti sumus.*

[2.] Naturales tantum obligationes sunt, quae solo aequitatis naturalis vinculo continentur. *l. Stichum 95. §. naturalis 4. de solut.* Quae quamvis actiones non pariant, soluti tamen conditionem impediunt. *l. naturales 10. de act. & oblig.* Cuiusmodi ex pacto nascitur obligatio: nihil enim tam fidei humanae conveniens est, quam pacta servare. *l. 1. de pactis.* Excipio legitimas conventiones, quibus actiones ipso iure & producuntur, & tolluntur. *l. legitima 6. de pact.* & *l. si tibi decem 17. §. 2. & l. si unus 27. §. pactus 8. eod. tit.* De quibus legitimis conventionibus loquitur Iurecons. in *d. l. iuris gen. 7. §. si pacifcar 14.* in illis verbis, DE FVRTO ENIM PACISCI LEX PERMITTIT. De quo scripsimus lib. II. lect. variar. Excipio item quasdam conventiones, ex quibus Praetori visum est, actiones dare, ut *de pecunia constituta, & hypothecariam*: de qua loquitur Iureconsultus in *d. l. si tibi 17. §. de pignore 2.* Si igitur inter nos convenerit, ut mihi decem dares, quamvis ex pacto in civem Romanum actio non detur, naturaliter mihi tamen teneris, hoc est, iure gentium te mihi dare oportet, quo nulla inter pactum & aliam conventionem differentia constituitur: quare, si ex ea causa solvas, non repates. *l. quamvis 3. C. de usur.* Ex quo, uti iam diximus, censetur & aestimatur naturalis obligatio. *d. l. naturales 10. de act. & oblig.*

[3.] SERVM item, in quem nulla eadie civilis obligatio, natura debere dicimus, extraneis ex quavis causa, domino ex causa duntaxat peculiari. Quod cum dicimus, factum nos demonstrare, ait Iureconsultus, non referre ad civilem obligationem. *l. nec servus 41. de pecul.* Vnde fit, ut nuda voluntate dominus servo debitum remittat. *l. si peculium 6. de pecul. leg.* quo modo non tollitur civilis obligatio. E contrario item dominus servo natura debere dicitur ex causa peculiari, uti iam diximus: idque debitum servat per compensationem servus: quamvis petitio ei nulla competit eius, quod in rem domini impedit, *d. l. si peculium 6. §. sicut 4.*

facit *l. etiam 6. de compens.* in qua scribit Iureconsultus, *id, quod natura debetur, in compensationem deduci.* Naturalis tamen ista inter dominum & servum obligatio aestimatur ex iure civili. Neque aliis modis servo dominus natura debere dicitur, quam quibus iure civili teneatur. Itaque si in rationes dominus referat, se decem servo suo debere, non ideo tamen naturaliter debere intelligitur: nam hoc modo civiliter nemo obligatur. *l. non solum 49. de pecul.* Extraneis quoque ex quavis causa debet servus naturaliter: cuius obligationis nomine, in dominum vel *de peculio*, vel *de in rem verso* actio a Praetore datur. *d. l. nec servus.* Et haec servi naturalis obligatio soluti conditionem impedit, sive ipse servus solvat ex peculio, cuius liberam habebat administrationem, sive alias pro servo, sive ipse liber effectus. *l. naturaliter 13. de cond. ind.* Itaque fideiussor datus a servo tenetur: qui non teneretur, si solutum repeti posset. *l. quod enim 1. de fideiuss.* Idem dicemus, si servus, quod naturaliter domino debebat, haeredi manumissus solvat: nam solutum non repetet. Illud praeterea efficit naturalis ista servi obligatio, qua extraneo tenetur, ut totum servi debitum, domino agenti, ex societate puta inita cum servo, compensetur, quamvis peculio duntaxat tenus praestet ex servi contractu conventus. *l. si cum filiofam. 9. de compensat.* Illud item operatur, ut, si cum domino de peculio agatur, id dominus deducat de peculio, quod sibi a servo debetur, quasi aes alienum, quod idem sit, cum servi peculium legatur. *d. §. sicut 4. l. si peculium 6. de pecul. leg.* Servilis autem ista obligatio eo dicitur *naturalis*, quia ex aequitate nascitur naturali, qua homo homini fidem praestare tenetur, quoad eius facere potest: neque enim conditio servilis perfidiae iusta excusatio est. Pater item filio, & filius patri, ex causa peculiari naturaliter obligatur, de qua obligatione & eius effectu in *l. frater a fratre 38. de condi. indeb.*

[4.] PUPILLVS item est, cum naturaliter tantum obligatur; nam sine tutoris auctoritate placuit, pupillum civiliter non obligari. Naturaliter autem tum demum sine tute obligatur, cum ex contractu factus est locupletior, cuius obligationis naturalis illa aequitas fons est, & origo, quod natura iniurium sit, quemquam aliorum damnis crescere, & ex alienis incommodis sua commoda comparare. *l. nam hoc natura 14. de condi. ind. l. iure naturae 206. de reg. iur.* *l. rerum quidem 25. rerum amot.* Non factum autem locupletiorem pupillum nulla naturalis tenet obligatio ex contractu, sine tute inito. Neque enim aequum est natura pupillum, qui propter aetatem minus consulit, & videt parum, atque ideo sub tute agit, in plus teneri, quam quatenus factus est locupletior. Hinc fit, ut, quod stipulanti sine tutoris aucto-

auctoritate solvit, repetere possit, quasi ne naturaliter quidem debitum. *I. quod pupillus 41. de cond. indeb.* Neque enim promittendo locupletior quis fieri potest. Quin &, si ex mutui causa factus non sit locupletior, ne naturaliter quidem obligatur. *I. pupillus 59. de act. & oblig.* Sic enim eam legem intelligendam puto, ut ex causa mutui nulla naturalis aequitas pupillum, sine tutori contrahentem, obliget, nisi factus sit locupletior. Cum igitur naturalis aequitas pupillum, locupletiorem factum, ex causa mutui obliget, si pubes factus solvat, non repetet. *I. naturaliter 13. §. ult. de cond. ind.* Nam si impubes adhuc solvat, persona locum facit condictioni. *I. interdum 29. d. tit.* etiam si civiliter debitum fuerit. Neque enim vere solutum est, quod pupillus sine tutoris auctoritate solutionis causa numeravit: cum pecuniam accipientis non fecerit. *I. non omnis 19. §. si pupillus 1. si cert. pet.* Neque movet, quod ista numeratione pupillus liberetur. Ideo namque liberatur, quod eius factio ad creditorem pecunia pervenerit: non quia creditoris facta pecunia sit. *d. §. si pupillus.*

[5.] Ad hoc igitur, ut pupillus naturaliter, hoc est, ratione aequitatis naturalis ex causa mutui obligetur, necesse est, factus sit ex ea re locupletior. Quae tamen naturalis obligatio tum vires ac robur suum exerit, ac demonstrat, hoc est, tum soluti condictionem impedit. Ex quo etiam censeri diximus naturales obligationes, cum debitum naturale recte solutum est: hoc est, cum is solvit, qui solvere iure potuit: ipse nimirum pubes factus, aut impubes adhuc tutori auctore. *d. §. ult. I. naturaliter.* Aliter si solutum sit, & pecunia extans vindicatur, & consumpta condicitur. *d. I. interdum.* quia, ut iam diximus, non sit facta accipientis.

[6.] Actionem sane ex mutuo non parit naturalis ista obligatio. Post rescriptum tamen *D. PII* in pupillum actio datur, quatenus est factus locupletior. *I. 3. §. pupillus 4. de nego. gest.* *I. pupillus 5. de auto. tut.* quae actio utilis appellatur in *I. sed mibi 3. commod.* Puto, quia utilitatis causa ex rescripto *D. PII* dari coepit in eum, qui ipso iure non obligatur. Eadem ratione actio *quod certo loco, utilis* appellatur. *I. 1. de eo, quod cer. loc.* quae in eum datur, qui alio loco convenitur, quam in quo solvere promiserat, utilitatis (uti iam dixi) causa: ne in eius arbitrio ac potestate sit, nunquam solvere, quod assequi poterat, devitato loco, in quo dare promiserat. Praetor quidem actionem suam in pupillum dat, quatenus est factus locupletior ex facto institoris, a pupillo sine tutori praepositi. *I. eatenus 10. de instit. act.* Praetori namque sola naturalis aequitas iusta causa est actionis dandae.

[7.] Quaero, si pupillus ex causa mutui non factus locupletior, pubes per iuris errorem solvat, hoc est, existimans se teneri, an solutum

repetet? Et Imp. in *I. si quis ius. 9. §. 5. de iur.* & fact. igno. scribit, *iuris ignorationem ad repetitionem soluti non prodeſſe.* Sane infirmae aetati iuris ignoratio non nocet, quo minus in integrum restitui possit. *I. quamvis II. C. d. tit. I. 1. & 2. si advers. credit. &c.* Omnes igitur naturales obligationes aut actiones pariunt, si legis Praetorisve accedat auctoritas: aut, si solo aequitatis vinculo continentur, soluti repetitio- nem impediunt. *d. I. naturales. de act. & oblig.*

[8.] Tolluntur autem naturales istae obligations, quae solo aequitatis vinculo continentur, vel *pacto iusto*, vel *iureiurando.* *I. Stichum 95. §. naturalis 4. de solut.* Cum enim nihil tam sit naturale, quam unumquodque tolli eo modo, quo est constitutum: mirari nemo debet, ex aequitate naturali natam obligationem, alia aequitate naturali, quae in pactis versatur, extingui prorsus ac tolli; hoc enim est, quod Iureconsultus ait in *d. §. naturalis.* **I P S O I V R E T O L L I.** Pactum autem *iustum* esse oportet id, quo naturalis tollitur obligatio: hoc est, pactum iuris Praetorii, & eius generis, quod a Praetore servetur. Neque enim omnia pacta tuerur Praetor: sed ea duntaxat, quae neque contra leges, neque contra Senatusconsulta, &c. *I. iuris gen. 7. §. praetor ait 7. de pact.*

I D E M dicendumde *inreiuando*, cui aequum est, eum stare, qui detulit, qua aequitate naturalis quoque obligationis vinculum dissolvitur. *d. §. naturalis & I. ult. de iureiur.* Ius autem in iureiurando non versari, ex eo intelligi potest, quod ex causa iurisiurandi tradita possessio ad ususcapionem non prodest, sed duntaxat ad praescriptionem, hoc est, ad exceptionem temporalem. *I. si duo 13. §. item 2. de iureiur.* itaque in causis & titulis possessionum, unde sequitur ususcapio, non numeratur iuslurandum.

[9.] **T O L L V N T V R** item naturales obligations *nuda voluntate.* Nam, si dominus in rationes suas retulerit, servum nihil sibi debere: sublatum est debitum naturale. *I. si peculium 6. §. sed & si I. de pecul. leg.* quo modo non tolluntur civiles obligationes. Quamvis autem solo aequitatis vinculo naturales istae obligationes continantur, adhibitus tamen ad eas fideiussor civiliter obligatur. *I. fideiussor 16. §. fideiussor 3. & I. quod enim 7. de fideiuss.* Quae fideiussoris obligatio nulla esset, si neque iure civili, neque gentium reus principalis teneretur. Interdum tamen *natura debita* dicuntur, quae re ipsa credita promissive sunt: ad quorum solutionem nulla nos aequitatis naturalis ratio urget. Exempli causa: Quod tibi Titius debebat, animo novandi a pupillo sine tutori stipulatus es: *tenere eam stipulationem naturaliter*, ait Iureconsultus in *I. 1. de novat.* Item, decem mutuo pupillo dedi sine tutori: ea pupillus consumpsit: *naturale* hoc debitum appellatur. *I. Stichum 95. §. aditio 2. de solut.* *I. cum illud 25. §. haeres meus*

i. quando dies leg. ced. Non quia iure gentium pupillus solvere teneatur: sed quia, ut iam diximus, re ipsa mutuo accepit. Quod debitum naturale non in id prodest, ut conditionem soluti inhibeat: sed ut, si pupillo huiusmodi creditor naturalis succedat, debitum retineat & deducat in ratione legis *Falcidiae* imponenda. *d. §. aditio.* Item, ut si ita legem, *quod mibi pupillus debet*, & pupillus nihilo factus locupletior solvat haeredi, legatum valeat. *d. §. haeres.* Natura autem & haec quoque debita dici significat **Iureconsultus in paragraphe nostro**, cum ait, **QVOD NATVRA HAEREDITATI DEBET VR, ET PETI QVIDEM NON POTEST, SOLVTVM VERO NON REPETITVR.** Vnde liquido colligitur, quaedam natura deberi, ut soluta repeti possint: ea autem, ut iam dixi-

mus, sunt quae *natura deberi* dicuntur: quia re ipsa credita promissave sunt: ad quae solvenda nulla aequitate obligamur: quae cum repeti soluta possint, & haeredi invito extorqueri, mirum non est, si haereditatem non augeant: neque legatariis proficiant, quibus lex *Falcidiae* legata diminuerat. Quae vero ex aequitate naturali debentur, soluta augeant patrimonium testatoris, & legatariis proficiant. Quamvis enim eorum nomine haereditati (quae testatoris vicem refert. *l. haereditas enim 61. de acquir. rer. dom. & l. mortuo 22. de fideiūff.*) actio non competit, obligatio tamen naturalis, quae soluti conditionem impedit, in haereditate erat: quo sit, ut & in restitutionem veniant haereditatis debita naturalia soluta *l. quamvis 40. & l. s. baeredi eius 47. ad Trebell.*

§. 18. Ait Iureconsult. *Si debitor creditori haeres existat, quamvis confusione liberetur, tamen locupletiorem haereditatem percipere videtur, ut computetur ei, quod debet, quamvis aditione confusum sit.*

S V M M A R I V M.

Confusione non omnino semper tollitur obligatio.

GOVEANVS. Solutione, acceptatione, stipulatione Aquiliana, novatione, & interdum consensu, ita tollitur obligatio, ut nullum eius vestigium relinquatur. Confusione vero non plane tollitur, nam si creditori haeres extiteris, aditione extincta quidem actio est, cum a te ipse, qui creditori successisti, petere non possis, tuum tamen nomen adhuc in haereditate manet, & in ea computatur, etiam si solvendo non sis, quia sibi quisque semper solvendo esse intelligitur. *l. quaerebatur 82. l. Nesennius 22. §. si debitori 3. hoc tit.* Cui sententiae consequens est, ut si a creditore haeres institutus ex *Trebelliano* haereditatem restituas, dentur adversus te fideicommissario actiones, quasi debitorem haereditarium. *l. ita tamen 27. §. si ex Trebelliano 7. ad Trebell.* Idem ex contrario dicendum est, si debitori tuo haeres extiteris. Quamvis namque tibi actio confusione perierit, tamen si ineunda patrimonii testatoris quantitas sit, & cum legatariis *Falcidiae* ratio ponenda, cum reliquo aere alieno tuum quoque debitum deducis, *l. in imponenda 6. C. eo. nisi forte debitum cum Falcidia compensari testator voluerit. l. si debitor 12. hoc tit. l. cum pater 77. §. Titio 31.*

de leg. II. Eademque ratione, si debitoris tui haereditatem ex *Trebelliano* restituas, vel fideicommissarii voluntate tuum debitum retinebis, vel obligationem restitui fideicommissarius patietur: alioquin potenter fideicommissum *doli mali* exceptione subm̄ovebis. *l. Papinianus 18. de servit.* quo in loco scribit Iureconsultus, servitudes aditione haereditatis confusas, nisi iterum imponi legatarius patiatur, a legati petitione exceptione *doli mali* repellendum. Cui consequens est, quod scribit Imp. in *l. si maritus 22. C. de inoff. test.* & Iureconsultus in *l. haeredem 17. de iis, quib. ut indig. & in l. 2. de baered. vel act. vend.* *§. si quis debitori 18.* Sane si haereditas ut indigno auferatur, non restituuntur confusae actiones, puto, in odium indigni. *l. indigno 8. d. tit.* Interdum quidem aditio ista creditoris non confusionem obligationis parit, sed solutionis loco cedit: exempli causa. Qui pupillo sine tutoris auctoritate crediderat, haeres ei extitit, non potest videri confusa obligatio, quae nulla fuerat: tamen aditio haereditatis, ut iam diximus, solutionis loco cedit: retinetque debitum suum universum haeres, non solum, quatenus factus erat pupillus locupletior: nam hactenus naturalis consistebat obligatio. *l. Stickum 95. §. aditio 2. de solut.*

§. 19. Ait Iureconsult. *De impensa monumenti nomine facta quaeritur, an deduci debeat?* Et SABINVS ita deducendam putat, si necessarium fuerit monumentum extruere. MARCELLVS consultus, an funeris monumentique impensa, quantum testator fieri iussit, in aere alieno deduci debeat: respondit, non amplius eo nomine, quam quod funeris causa consumptum sit, deducendum: nam eius, quod in extirptionem monumenti erogatum sit, diversam esse causam. Nec enim ita monumenti aedificationem necessariam esse, ut sit funus, ac sepultura. Idcirco eum, cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit, Falcidiam passurum.

II. MARCELLVS.

Nec amplius concedendum erit, quam quod sufficiat ad speciem modicam monumenti.

S V M M A R I V M.

1. *Legata praestantur, deducto aere alieno & funeris impensa.*
2. *Impensa in monumentum facta legatariis non semper obest.*

[1.] **G**OVEANVS. Quia nemo nisi de suo legare potest: id autem cuiusque est, quod soluto aere alieno deducto supereft, neque solum aere alieno deducto, verum & funeris impensa. §. 2. *de lege Falcid. libro II. Instit.* Aequius namque est, lucrum non capere legatarios, quam testatorem insepultum iacere *l. & si quis*. 14. *de relig.* Quo eodem loco exponit Iureconsultus, quae impensa causa funeris fieri dicatur.

[2.] Monumenti non eadem ratio est. Neque enim impensa, in monumentum facta, legatariis obest, nisi cum monumenti extirpacio necessaria est: tum autem necessaria est, cum testator iussit, sibi fieri monumentum. Quamvis enim stricto iure nulla teneantur haeredes actione ad monumentum aedificandum, etiam si aedicare iussi sint. *l. Qu. Mutius* 7. *de annu. leg.* tamen Principali, vel Pontificali compelluntur auctoritate ad obsequium supremae voluntatis. *l. haereditas* 50. *de pet. haered.* Quod autem diximus, stricto iure nulla actione haeredem teneri ad monumenti extirpationem, tum verum est, cum ei, qui monumentum extruere iussus est, datus non est cohaeres. Nam coharedi, praeter actionem *Familiae erciscundae*, actio etiam *praescriptis verbis* competit adversus cohaeredem, ut monumentum extruat, ut iussus est. *l. iis consequenter* 18. *famil. ercif.* Eius namque interest, monumentum extrui, in quo possit sepeliri. *l. vel quae* 6. *de religios.*

3. *Funeris & sepulturae causa tantum deducitur, quantum impendi testator voluit, habita dignitatis & facultatum ratione.*

Si igitur de monumento nihil testator cavit, quae eo nomine ab haerede impensa facta est, de haereditate non deducitur in imponenda ratione *legis Falcidiae*: neque legata minuit sumptus non necessarius. Quid ergo? omnemne eam impensam deducet haeres, quam testator in monumentum fieri iussit? Minime: sed iustum duntaxat ac probabilem: & neque eam quidem omnem, sed eam tantum, quae sufficit ad speciem modicam monumenti, quae sententia est, *leg. sequen.*

[3.] Alia causa funeris ac sepulturae est, tantum enim hoc nomine deducitur, quantum impendi testator voluit, habita ratione & dignitatis, & facultatum. *d. l. & si quis.* §. *baec actio* 6. *de religi.* Neque enim alia testatoris voluntas, ne in funeris quidem impensa, servanda est, facit *l. servo alieno* 113. §. *ult. de legat.* 1. Quae MARCELLI sententia rationem illam habet, quod monumenti extirpacio necessaria non est: funus autem & sepultura necessaria. Nam monumentum id appellatur, quod memoriae causa extruitur, & aedicatur ita, ut extet. *l. 2. & l. monumentum* 42. *de relig.* in quod si mortuus illatus sit, *sepulcrum*: sin vacuum sit, κενοτάφιον dicitur. Quid si impensa, in monumentum iussa fieri a testatore, legatariis non nocet? Et eo casu non licet haeredi minus impendere, plus licet. *l. cum in testamento* 202. *de verb. sign.*

III. P A V L V S.

Si haeres institutus eam haereditatem, quae solvendo non est, vendiderit: vix quidem poterit persuaderi, non fuisse eam haereditatem solvendo, quae emptorem invenerit: vera autem ratione nihil legatariis debebitur: quia magis ex stultitia emptoris habere videtur haeres institutus, quam ex bonis defuncti. Nam & e contrario, si male vendiderit res haereditarias, non erit hoc legatariorum detrimentum. Ita ergo commodum debet esse haeredis, si bene res administraverit.

¶ 1. *Sed & si is, qui solvendo non est, legaverit, & haeres cum creditoribus deciderit, ne solidum solveret, & ob eam decisionem factum sit, ut aliquid retineret: nihil tamen legatariis debitum: quia eam pecuniam non ex haereditate, sed ex decisione habeat.*

S V M M A R I V M.

1. *An venditor hereditatis, quae creditoribus tantum sufficit, teneatur legatariis?*
2. *Onus aeris alieni penes venditorem remanet hereditatis.*
3. *Ad legatorum tamen solutionem non compellitur.*



[1.] OVEANVS. Ait P A V L V S: *Eam haereditatem, quae solvendo non est.*) Haereditas damnosam etiam significat haereditatem, l. haereditatis 119. de verb. signific. ita & bonorum possesio, damnosam quoque significat bonorum possessionem l. 3. de honor. posses. quamvis proprie bona dicantur, quae deducto aere alieno supersunt. l. subsignatum 32. §. bona 1. de verb. signific. Quaero, num venditor haereditatis, quae creditoribus tantum sufficit, legatariis teneatur? Et cum legata non praestentur, nisi de eo, quod superest, deducto aere alieno, quod ex sua administratione haeres habet, non autem ex ipsa haereditate, non proderit legatariis. Videamus de haereditate, in qua, quod superest, deducto aere alieno, legatis non sufficit. Et puto, ne hoc quidem casu haeredem teneri legatariis, nisi quatenus teneretur, si haereditatem non vendidisset: hoc enim, quo nunc plus habet, ex sua administratione habet. Quod autem ita habet, non proficere legatariis, ait Iureconsultus in *bac nostra lege*, in versiculo, QVEMADMODVM EX CONTRARIO.

[2.] Ait Iureconsult. *Vendiderit.*) Ex qua emptione nihil emptor consequitur, ad quem scilicet id duntaxat transfertur, quod ad haeredem vere dici potest pervenisse. l. 2. de haered. vel actio. vend. Nam aeris alieni onus penes venditorem remanet haereditatis. l. 1. C. de haered. vend. Fiscum excipio, de quo, qui emit haereditatem, convenitur a creditoribus haereditariis, non ipse Fiscus. l. 1. C. de haered. vend.

[3.] Ait Iureconsult. *Vix quidem poterit persuaderi.*) Iuris stricta ratione, cum tanti res sint,

4. *Ad emptorem actiones tantum transferuntur utiles.*
5. *Transigere heres, ne solidum persolvat, potest etiam ante hereditatem aditam.*

quanti vendi possint.

Ait P A V L V S: *Vera autem ratione.*) Vera ratio est, quam aequitas suadet, cuius scientiam profitentur Iureconsulti, & cuius dicuntur Sacerdotes & Interpreti. Aequum autem non videtur, haeredem, qui de bonis testatoris nihil ceperit, ad legatorum compelli solutionem.

[4.] Ait P A V L V S: *Ex stultitia emptoris.*) Ad quem ex ea emptione neque res ulla pervenit, neque nomen saltem haeredis: nam id penes venditorem remanet una cum actionibus directis: neque aliae in emptorem actiones transferuntur, quam utiles, ex rescripto D. PII, l. si cum emptore 16. de pact. facit l. emptor 5. C. de haered. vend. Directas autem actiones emptor non intentat, nisi ei cessae sint. Quid ergo, si emptori res haereditarias venditor tradiderit, aere alieno non soluto? Et ipsum haeredem creditoribus teneri constat, qui tamen postea eo nomine cum emptore ager, cui scilicet plus tradiderit, quam traditum oportuerit. Neque enim traditum oportuit, nisi quod superesse poterat, deducto aere alieno. l. si is qui haereditatem 45. de cond. indeb.

[5.] Ait Iureconsult. *Quam ex bonis defuncti.*) Vnde legata praestantur: bona autem, uti iam diximus, dicuntur, quae supersunt, deducto aere alieno.

Ait Iureconsult. *Deciderit.*) Decidere autem sive transigere potest haeres, etiam ante aditam haereditatem. l. iure gentium 7. §. ult. iuncta l. seq. de pact.

Ait Iureconsult. *Non ex haereditate, sed ex decisione habeat.*) Quamvis occasione haereditatis habeat.

§. 2. Ait PAVLVS: *Item si Reip. in annos singulos legatum sit, cum de lege Falcidia quaeratur, MARCELLVS putat, tantum videri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes eius summae, quae legata est, colligendas.*

S V M M A R I V M.

1. *Illustratur MARCELLI sententia in h. l. ita ut tres legatarii heredi conferant septuaginta quinque.*
2. *Quaer. unde reliqua 25. quae heredi ad quadrantem bonorum desunt, detrahantur?*
3. *Num eadem ista aestimatio fiat, cum de quan-*

[1.]  OVEANVS. Qui quadringenta in bonis habebat, primo & secundo ducenta legavit, Reip. annua quatuor: locus *Falcidiae* non est: nam haeres centum habet, quia annua quatuor Reipub. relicta centum duntaxat aestimantur, unde trientibus usuris colligi possunt. Quod si primo, secundo, & tertio trecenta legaverit, & Reip. annua quatuor, locus *Falcidiae* est, quia haeredi nihil relinquitur facta, uti iam diximus, aestimatione anni legati. Quamobrem tres legatarii facient haeredi septuaginta quinque. Aequitas huius aestimatio-
nis illa est, quam diximus, quod usuris trientibus, quae leves sunt. *l. tutor, qui repertorium*
7. §. *si post 3. de administr. & peric. tuto. quatuor annua ex centrum colligi possunt. CAPITO-*
LINVS in Alexandro scribit, Trientarium
eum foenus exercuisse, ut aequissimum & levissi-
mum ad usum Reip. Neque alia fieri aestimatio,
si una solutione Reipu. satisfieri oporteat, de
qua aestimatione queri non possunt tres lega-
tarii, qua nihil aliud quaeritur, nisi ut haeredi
*salva sit *Falcidia*, in cuius favorem propensi-
ores esse nos oportet, quam legatariorum, qui*
in mero lucro versantur. Facta igitur ex MAR-
CELLI sententia anni huius legati aestimatio-
ne, septuaginta quinque, uti iam diximus,
haeredi tres conferent legatarii. Quaero, re-
liqua viginti quinque, quae ad quadrantem bo-
norum haeredi desunt, unde detrahantur? Quaero,
num eadem ista aestimatio fiat, cum de quan-
titate anni legati Reip. relieti quaeritur? Po-
ne testatorem, qui centum habebat in bonis,
*annua quatuor Reipu. legasse, & nulla praete-
rea legata reliquisse. Quaero, quamobrem in*
hoc casu non fiat computatio. Quaero, quamobrem
non eadem legati huius anni Reipub. relieti fiat
aestimatio, quae legati anni Titio relieti. Quaero postremo, quae dicantur *usurae trientes.*

[2.] Ad primum respondeo, Reliqua xxv.
quae ad quadrantem haereditatis deesse haeredi
videtur, de anno legato detrahi, & tria tan-

- titate anni legati, Reip. relieti, quaeratur?
4. *Cur hoc in casu non fiat computatio?*
5. *Cur non eadem legati Reip. relieti aestimatio fiat, quae legati anni Titio relieti?*
6. *Vsurae trientes quae dicantur?*

tum annua praestari, quae trientibus usuris ex septuaginta quinque colliguntur, quemadmodum quatuor ex centum. Cui sententiae conse-
quens est, ut si, eodem retento casu, decem annua Reipub. legata sint, cum septuaginta quinque duntaxat legari potuerint, per legem *Falcidiam* septem statim de legato annuo detra-
hantur, & tria tantum praestentur: nam id, quod ultra patrimonii vires testator legat, ante omnia detrahitur in imponenda ratione legis *Falcidiae*. Exempli causa. Qui quadringenta in bonis habebat, quingenta & quinquaginta legavit, ante omnia centum & quinquaginta detra-
hantur. §. ulti. de lege *Falcid. lib. II. Institut.* Nihil autem refert, cum quadringenta habeas, legesne quibusdam trecenta, & Reipu. annua decem: an vero leges quingenta & quinquaginta. Nam ex MARCELLI sententia decem annua Reip. relicta ducentis quinquaginta aesti-
mantur: quorum annua decem triens usura est.

[3.] Ad secundum respondeo, Eandem aesti-
mationem anni legati fieri oportere, cum de quantitate solius legati anni Reipu. relieti quaeritur, num dodrantem excedat haereditatis? nam & in usufructu aestimatio veterum locum habet, cum quaeritur, num plus sic in legato usufructus, quam in dodrante haereditatis. *l.*
1. §. *si usufructus 9. supra eod.*

[4.] Ad tertium respondeo, In anno legato Reipu. relieto computationem fieri non posse, nisi annorum numerus praefinitus sit: perpetuum namque est legatum, ut & ipsae Respub. perpetuae aeternaeque sunt: neque enim fa-
cile Reip. mors contingit. *l. an usufructus 56. de usufructu. de quo scripsimus lib. 2. lect. vari.*

[5.] Ad quartum respondeo, legatum an-
num Titio reliatum propter incertum mortalita-
tis, non posse certa ulla aestimatione censi, neque in computationem deduci, cum ea dun-
taxat computentur, quae certum est, debitum iri. *l. nisi 3. titu seq.* Sequentium autem anno-
rum legata conditionem illam habent, *si Titius*
vivat: cuius morte annum legatum finiri con-
stat. *l. legatum 10. de cap. diminut.* Necesse igitur est, tanti legatum annum Titio reliatum aestimetur, quanti venire possit, in incerto po-

posito quandiu Titius victurus sit. *l. cum Titio 55. infra eod.* de qua aestimatione plura eo loco dicemus. Sane in alimentis legatis, & usufructu Reipu. legato, non sit aestimatio ex sententia MARCELLI, quae tantum locum habere potest in annuo legato pecuniae. Quemadmodum autem ea legata aestimentur, dicimus ad *l. haereditatum. infra eodem.*

[6.] Ad postremum respondeo, Trientes usuras esse tertiam partem usurae centesimae. *l. bac edictali 6. §. iis illud 1. de secun. nup. l. ult. §. praeterea 2. C. de iure dot. l. unica. §. fin autem 7. de rei uxori. actio. l. eos 26. C. de usur. l. cum quidam 17. §. ulti. ff. de usur. Centesima*

autem usura est centesima pars sortis, quae singulis mensibus solvit, atque ideo centum mensibus sortem aequat. Huius usurae centesimae exemplum legimus in *l. letta 40. si cert. pet. in illis verbis, IN DENARIOS CENTENOS DENARIOS SINGULOS.* Quemadmodum igitur usuris centesimis XII. singulis annis colligitur, ita usuris tridentibus colliguntur quatuor, & usuris quadrantibus tria, unum usuris uncialibus, octo usuris bessibus, decem usuris semiessibus, septem usuris septuncibus, & quincuncibus: quae omnes usurae denominantur ex ratione centesimae, quam veteres appellabant *Sanguinariam.*

IV. PAPINIANVS.

Fundo mibi legato sub conditione, pendente legati conditione haeres me haeredem instituit, ac postea legati conditio extitit, in Falcidiae ratione fundus non iure haereditario, sed legati, meus esse intelligitur.

S V M M A R I V M.

1. *Quod iure hereditario habetur, in restitutio-*
nem hereditatis non venit.

[1.]  OVEANVS. Ratio dubitandi in hac lege, quod legati conditionalis dies existente demum conditione cedit, *l. si post diem 5. quando dies leg. ced. & l. legato sub cond. 65. de cond. & demonst. l. cedere diem 213. de verb. sign.* Ratio vero decidendi, quia iure haereditario habere non videor, quod alio haerede instituto eram habiturus: ideoque neque in restitutionem hereditatis id venit, *l. sequens quaestio 68. de leg. II.*

[2.] Quaerit ACCVRSIUS, Quamobrem ex utraque causa, & legati, & haereditatis, fundum habere non intelligar? Et respondet id, quod res est, Ex duabus causis rei eiusdem dominium contingere non posse, quamvis possessio possit, *l. non ut ex pluribus 159. de regul. iur. l. 3. §. ex pluribus 4. de acquir. vel omit. poss.*

[3.] Notat praeterea ACCVRSIUS, mutari haeredi causam dominii conditione existente:

2. *Ex duabus causis rei eiusdem dominium con-*
tingere non potest.

3. *Conditio legati ius hereditarium suspendit.*

quod vix est, ut recipiatur. *l. 3. §. illud 19. de acquir. poss.* Nam conditio legati ius hereditarium suspendit: hoc est, facit, ut in pendent sit, an haereditaria res sit, *l. si fur 12. §. 5. de usufruct. arg. l. si fundum 92. de legat. I.* Neque obstat *l. cum rei 29. de actio. empti.* Nam legatarius, qui pendente legati conditione, rem legatam ab haerede emit, existente conditione dicitur rem non habere ex causa legati, sed emptionis: quia scilicet ei tradita non sit ex causa legati, sed emptionis: ideoque pretium recuperabit actione ex empto: quod si pretium traditum non sit, obligatione ex vendito absolvitur, *l. huiusmodi 84. §. qui servum 5. de legat. I.* Quod si ab alio, quam ab haerede, rem sibi legatam emerit, legatarius non agit ex testamento ad rem quam habet, neque ad verum rei pretium, sed ad pretium quod ipse numeravit, *l. plane 34. §. quod si rem 7. de legat. I.* satis enim est, eum indemnem servari.

V. IDEM.

Verbis legati vel fideicommissi non necessario civitati relinquitur, quod ex causa pollicitationis praestari necesse est. Itaque si debiti modum testamento dominus excesserit, superfluum duntaxat Falcidia minuetur: quare nec fidei committi legatarii poterit. Quod si dies aut conditio legatum fecerit, non utilitatis aestimatio, sed totum petetur, quod datum est: nec si vivo testatore dies venerit, aut conditio fuerit impleta, fiet irritum, quod semel competiit.

S V M

S V M M A R I V M.

1. *Inutile erit legatum, si creditor legas, quod ei debetur.*
2. *Eam tamen utilitatem confert hoc legatum, quod pro actione honoraria civilem habeat Debitor.*
3. *Pollicitatio, ex causa civitati facta, obligat pollicentem.*
4. *Falcidia tantum locum habet in iis, quae a testatore data sunt.*
5. *Creditor, cui per speciem legati debitum relinquitur, fideicommissio onerari non potest, nisi de superfluo.*
6. *Si, quod in diem vel sub conditione debetur, pure legatum sit, totum petitur.*
7. *Et de toto detrabitur Falcidia.*
8. *Nec tale legatum, licet dies venerit, vel conditio sit impleta vivo testatore, fiet irritum.*

GOVEANVS. PAPINIANVS ait: *Verbis legati, vel fideicommissi.*) In fideicommissis testamento relictis ex S. C. Pegasianno Falcidiā versari, iam superius scripsimus, & quae legatorum, quaeque item fideicommissorum verba sint.

[1.] Ait Iureconsult. *Non necessario civitati relinquitur.)* Creditori tuo, hoc est, ei, qui exigere abs te rem invito potest, non necessario legas, quod ei debes, hoc modo, *Titio lego, quod ei debeo: vel, Titio x. lego, quae ei debeo.* Nam si ita dicas, *Titio lego quantum ei debeo:* non intelligitur debitum legatum, sed tantum, quantum est in nomine: neque nominis persecutio legato, neque legati petitio debiti persecutioni officit. Non necessario igitur creditori legas, quod ei debes, cum id sine tuo legato consequi possit. Quin ne proprie quidem legare videris ei, cui nihil donas. Legatum enim est *donatio relicta a testatore, praestanda ab haerede.* Et quia ex huiusmodi legato nihil amplius creditor consequitur, quam ex sua obligatione consequeretur, *inutile legatum* hoc appellatur ab Imperatore in §. ex contrario 14. de lega. lib. II. *Institu.* quia scilicet necessarium non sit.

[2.] Neque enim prorsus inutiliter relinquis testamento id, quod debes. *l. si creditori meo 28. de leg. 1. l. si mulier 3. §. si rem 2. de leg. III.* Nam si iure honorario debita mihi res legetur, evidens utilitas est, quod pro actione honoraria civilem habeo, *d. l. si creditori.* Itaque PAPINIANVS non dixit *inutiliter Reipub. legari,* quod ex causa pollicitationis praestari necesse sit: sed dixit, *Non necessario legari.* Ista tamen utilitas non facit amplius legatum, quam nomen erat: & per consequens neque *Falcidiā* propter id commodum patietur legatarius, neque fideicommissio onerari poterit. *d. §. si rem.* Qua de re scripsimus ad *l. 1. §. creditori 10. hoc. tit. Civitatis* autem meminit PAPINIANVS, non quia aliud iuris in privato sit, sed quia ita ex facto accidit, de quo respondit: nam locus hic desumptus est ex libro octavo Responorum PAPINIANI.

[3.] Ait Iureconsult. *Quod ex causa pollicitationis praestari necesse est.* Pollicitatio facta civitati ex causa, ob honorem puta decretum,

vel decernendum, obligat pollicentem ex D. TRAIANI constitutione, *l. si quis II. de pollic.* Est autem *Pollicitatio* solius pollicentis promissio, *Pactum vero duorum pluriumve consensus. l. pactum 3. de pollic.* Atque ideo nudam promissionem pollicitationem appellat Iureconsultus in *l. sciendum 19. §. dictum 2. de aedilit. edict.* ut differat a *promissione*, quae in sponsione versatur. Quod igitur Reipub. legas debitum ex causa pollicitationis, non necessario legas, cui sua sufficit ad exigendum obligatio.

[4.] Ait Iureconsult. *Si debiti modum testamento dominus exceperit, superfluum duntaxat Falcidia minuetur.)* Debebam tibi x. legavi xv. sola quinque *Falcidia* minuuntur: quia *Falcidia* locum duntaxat habet in iis, quae a testatore data legatae sunt. At sola quinque data sunt, nam x. quae debebantur, & praestari ex alia causa necesse erat, vix est, ut data & legata videantur, quamvis per speciem legati relicta sint. *l. filiae 20. §. Papinianus 5. Famil. ercisc.* quamobrem de decem *Falcidia* non detrahetur.

[5.] Ait Iureconsult. *Quare nec fidei committi legatarii poterit.)* Si debitor creditori debitum relinquat per speciem legati, fideicommissio onerare eum non poterit, cui scilicet nihil de suo det: si plus leges, quam debebas, de superfluo poteris fideicommittere. Quin si dies vel conditio legatum fecerit, quatenus utilitatis ferre aestimatio potest, fidei legatarii recte committis. *l. cum quis uxori 2. de dote prael. de quo scripsimus ad l. 1. §. si creditori 10. hoc titu.*

[6.] Ait Iureconsult. *Quod si dies vel conditio legatum fecerit.)* Debebam tibi x. in diem vel sub conditione, legavi pure, dies vel conditio amoto facit, ut tota x. data legataque videantur: quia, quo tempore relinquuntur, praestari ex alia causa non est necesse.

[7.] Ait Iureconsult. *Non utilitatis aestimatio, sed totum petetur, quod datum est.)* Cum legatum debiti modum excedit, superfluum tantum petitur, quasi legatum, quia duntaxat id datum sit. Cum autem commodum & utilitas repraesentationis in legato versatur propter diem vel conditionem obligationis amotam, totum id, quod est relictum, petitur, quia totum datum est. Vti enim iam diximus, tempore testamenti praestari ex alia causa non erat necesse.

l. de-

l. debitor 82. de legat. ii. Et quia totum datum intelligitur, de toto *Falcidia* detrahetur: aestimata scilicet utilitate legati, quam dies vel conditio remissa assert. *d. l. cum quis uxori. de dot. prael. & l. i. §. si creditori 10. supra, eod. & l. si deportati 7. §. si quis creditori 2. de legat. iii.*

[8.] Ait Iureconsult. *Nec si vivo testatore dies venerit, aut conditio fuerit impleta, sicut irritum quod semel competit.)* Quod tibi datum in testamento volui, quamvis postea vivo me acciderit, ut tu id a me ex alia causa petieris, & exigeris, non ideo tamen minus legatum debetur: sufficit namque semel legatum constitisse, & competuisse, & valitum fuisse, si facto testamento, vita statim testator deceperit. Et haec

PAPINIANI sententia est, quam Imperator comprobavit in §. ex contrario 14. de leg. lib. II. *Institut.* repudiata PAVLI sententia, qui adveniente die obligationis, vel impleta conditione vivo testatore, inutile & irritum legatum fieri existimavit. Cuius tamen improbatam opinionem TRIBONIANVS imprudens reliquit in *l. debitor 82. de legat. ii.* quod non uno loco eum fecisse ostendimus lib. 2. lect. var. Cum igitur ex sententia PAPINIANI debitum sub conditio- ne, pure legatum, datum, legatumque perse- veret, adveniente, vivo etiam testatore, con- ditione, legatum id *Falcidia* minuetur, & fi- deicommissio onerari legatarius poterit.

VI. VENVLIEIVS.

Si vir uxori haeres extiterit, & in funus eius impenderit, non videbitur totum quasi haeres impendisse: Sed deducto eo, quod quasi dotis nomine, quam lucri facit, conferre debuit.

S V M M A R I V M.

1. *Maritus ab uxore heres institutus non omnem funeris impensam legatariis reputat.*
2. *Dos profectitia ad patrem superstitem reddit.*

3. *Adventitia dos penes maritum remanet.*
4. *Divortio si solvatur matrimonium, propria actio filiae est dotis adventitiae.*

[1.]  OVEANVS. Et haeres mulieris, & maritus, qui defuncta in matrimonio uxore dotem lucratur, in funus mulieris conserunt. *l. in eum 16. l. Celsus 22. de relig. & sumpt. fune.* Et quidem pro rata. *l. & sic pro rata 27. de relig.* Aequum enim est, mulieres de suis patrimoniis sepeliri. Dotes autem in mulierum patrimoniis sunt. *l. denique 3. §. ergo 5. de mino.* Quare si mulier in matrimonio dece- dens maritum haeredem instituat, non omnem funeris impensam maritus legatariis reputabit, cuius partem dotis nomine, quam lucratur mor- te uxoris, agnoscere eum oportet pro portio- ne, & pro rata, uti iam diximus. Ponamus, in haereditate esse ducenta, in dote centum, duas impensae partes haereditas, unam dos susti- nebit. Defuncta in matrimonio muliere, mari- tum dotem lucrifacere scribit VLPIANVS in *l. cum in fundo 78. de iure dot.* *l. sed si alia 5. de bon. dam. & in tit. de dotib. in Insti.* facit *l. si ab hostibus 10. §. si vir 1. Sol. mat.* *l. mulier 22. §. cum proponeretur 4. ad Treb.*

[2.] Excepta dote profectitia, quae ad pa- trem superstitem redibat *l. iure succursum 6. de iure dot.* certis partibus in singulos liberos re- licitis: quam retentionem sustulit Imperator in

l. unica. de rei ux. act. Neque intererat, sui iuris esset mulier, an filia familias, cum dotem profectitiam ius potestatis non faceret. *l. 3. de iure dot.* facit *l. filiae meae aegrae emancipatae 59. solut. matr.* Nihil item intererat, liberosne reliquisset, an non: nam utique dos ad patrem, a quo profecta fuerat, revertebatur, mortua in matrimonio filia, hodieque revertitur: neque enim id mutatum est ab Impp. nisi de retentione ob liberos.

[3.] Adventitia autem dos penes maritum remanebat, nisi is, qui dotem dederat, stipu- latus fuisset, sibi dotem reddi mortua in matri- monio muliere: quae dos *receptitia* appellabatur. *l. mortis causa 31. §. sed & dos 2. de don. cau. mor.* de qua GELLIUS lib. XVII. cap. VI. Ad- ventitia autem dos dicitur, quam alius, quam pater, dedit. Dos item, quam mulier pro se dederat, quae in nomine generis manet, ma- rito relinquebatur, morte uxoris soluto matri- monio, nisi stipulata mulier esset, dotem eo casu reddi. Verum cum hodie stipulatio de dote reddenda utique interposita intelligatur, etiam si interposita non sit. *l. uni. de rei uxo. actio.* dotem maritus non lucrifaciet, mortua in ma- trimonio uxore, nisi ex pacto, cum ad mulieris haeredes stipulationis ius transmittatur. *l. unic. §. illo proculdubio 6. de rei uxo. actio.*

[4.] Divortio soluto matrimonio, si quidem sui iuris erat mulier, ipsa habebat actionem, id est, dotis repetitionem, etiam profectitiae. d. l. filiae meae aegrae emancipatae. Quod si in potestate patris erat, pater adiuncta filiae persona actionem habebat dotis etiam adventitiae, teste VLPIANO in titu. de dot in In-

stit. hodie autem filiae propria actio est dotis adventitiae. l. 2. §. quod si in patr. 1. sol. matr. de quo scripsi lib. 1. lect. varia. Soluto matrimonio morte viri, nullo pacto fieri poterat, ut dos liberis relinquatur. l. 1. de dot. prael. quia contra publicam utilitatem est, mulieres suis dotibus spoliari. l. 1. solut matrimon.

VII. PAPINIANVS.

Lege Falcidia interveniente, legata servitus, quoniam dividi non potest, non aliter in solidum restituetur, nisi partis offeratur aestimatio.

S V M M A R I V M.

1. *Individua solida sunt in legato.*
2. *Quomodo de servitute urbana legata detrahatur Falcidia?*

3. *An de libertate servitutis legata Falcidia detrahatur?*

[1.] **G**OUEANVS. Quae individua sunt, neque legari, neque praestari, pro parte possunt: itaque solida in legato sunt. l. cum filius 76. de legat ii. l. si is, qui quadringenta 80. §. fin. infra eo. Cum igitur intelligi non possit, quae pars in legato non sit, eundum est ad aestimationem, cuius quartam partem si haeredi inferre legatarius recusat, a petitione legati *doli mali* exceptione repelletur. d. l. si is, qui quadringenta. & l. pure 5. de *doli mali*, & met. except. de quo diximus ad l. 1. §. si ususfructus 9. quo loco exposuimus, quamobrem via, actus, iter divisionem non recipiant. Illud hoc loco quaerendum est, num de servitute urbana legata *Falcidia* detrahatur, & quomodo detrahatur? Item illud, num de libertate servitutis legata *Falcidia* detrahatur?

[2.] Et servitutem urbanam legari constat ex *Rubric. de servit. lega. Rust. & urb.* exempli causa: Legare possum tibi ius ex area mea in aedes tuas introëundi, ius stillicidii in aream meam avertendi, ius tigni in parietem meum immittendi: item haeredem meum damnare possum altius non tollere, ne luminibus tuis officiat: neque enim aliter servitus ista tibi relinquiri potest: frustra namque tibi legem ius altius tollendi, si mihi servitutem non debebas. Servi-

tutes igitur urbanae legari possunt, & legatae nostrum patrimonium minuant, quanto scilicet pluris sunt libera praedia quam serva. Qui enim fundum vendit *uti optimus maximusque est*, liberum vendere videtur. l. uti 90. l. cum fundum 126. de verbor. signif. l. penult. de evict. Itaque & in iis servitutibus, lex *Falcidia* locum habebit: etitque aestimatio necessaria, cum praestari urbanae servitutes nisi solide non possint, cum facti sint. l. 1. §. si ususfructus 9. supra eod. Patientia autem pro praestatione, quam restitutionem hoc loco appellat Iureconsultus, in servitutibus accipitur. l. quoties 15. de servit. Neque enim rerum incorporalium naturalis traditio est.

[3.] Ad secundum respondeo, libertatem servitutis legari posse: ut si tibi permittam altius tollere, cum mihi servitutem deberes. De hoc tamen legato non puto *Falcidiam* detrahi: quia non tam data libertas videatur, quam servitus adempta: qua remota, res naturaliter ad suam redeunt libertatem. Propter quam causam fieri existimo, ut libertates testamento servis datae *Falcidia* non minuantur. l. Papinianus 8. §. quarta autem 9. de inoffic. test. Non idem dicendum est de nominis liberatione legata: ipsa namque pecunia, quae in nomine erat, legata intelligitur, obligationis legata liberatione.

VIII. IDEM.

In lege Falcidia aeris alieni ratione in haereditate relict, quod unus ex haeredibus solvere damnatus sit, ipse solus habebit.

S V M M A R I V M.

1. Cui testator onus aeris alieni iniunxit, solus eius rationem in *Falcidia* habet.
2. Aes alienum pro portionibus hereditariis inter heredes distribuendum.

3. Potest testator uni heredum onus aeris alieni iniungere.
4. Quid iuris, si aes alienum portionem heredis absorbeat?
5. Explicatur l. 55. de leg. II.

[1.]  OVEANVS. Qui quadringenta in bonis habebat, quatuor haeredibus institutis xx. quae debebat, ab uno nominatim solvi iussit: solus is xx. de portione sua deducet, in ratione legis *Falcidiae* ponenda cum legatariis: quia solus is onus aeris huius sentit. Nam quamvis ipso iure inter haeredes pro portionibus hereditariis aes alienum dividatur, l. pacto 26. C. de pactis. tamen, quia compelli ad solutionem potest is, cui testator id onus iniunxit, solus is aeris huius rationem habebit.

[2.] Quod ut planius intelligatur, scire oportet, quemadmodum id, quod in nominibus testator reliquit, lege XII. Tabul. inter haeredes dividitur. l. ea, quae 6. C. Famil. ercisc. & l. 1. C. de except. ita id quoque, quod testator debuit, eadem lege inter haeredes dividi, neque in solidum unum ex haeredibus posse conveniri. l. is, qui 31. de cond. indeb. Ista autem aeris alieni distributio, uti iam diximus, pro portionibus fit hereditariis, non pro aestimatione rerum praelegatarum. l. 1. C. si certum petat. Neque item pro aestimatione rerum, in quibus haeredes sunt instituti: pone alterum rerum Italicarum, alterum provincialium haeredem esse institutum: nam hae institutiones vice praelegatorum & praceptionum accipienda sunt. l. ex facto proponebatur 35. de haered. instit.

[3.] Quamvis autem aes alienum inter haeredes ipso iure dividatur, potest tamen testator onus aeris alieni uni suorum haeredum iniungere, vel per speciem legati, hoc modo, *A primo haerede Titio creditori meo lego, quod ei*

debeo. Vel simpliciter hoc modo, *Titio creditori meo Sempronius haeres meus satis facito.* Priori casu actio creditoris meo competit adversus haeredem: posteriore vero ipsis cohaeredibus, quorum interest dimitti communem creditoris. l. servo legato 69. §. si testator 2. de legat. 1. Neque mirum est, alii actionem competere, quam cui testator dari iussit. Nam etsi pater pro filia genero dotem dari iubeat, ipsi filiae actio competit, cuius interest, non esse indotatam. d. l. servo legato. Itaque in iudicio *familiae ercisc.* haeres iussus creditori satisfacere, cohaeredibus cavit, *indemnes servaturum.* l. si filiae 20. §. Papinianus 5. famil. ercisc.

[4.] Quaero, si aes alienum portionem heredis absorbeat, quid iuris sit? Et respondeo, aeris alieni onus sibi iniunctum agnoscere haeredem oportere intra dodrantem suae portionis: quod vero dodrantem excedit, in alios haeredes redundare. d. §. Papinianus.

[5.] Quaero, si compensandi animo creditori fundum ab uno haerede legasti, cui x. debemas, quid iuris sit, si suo iure creditor uti malit, quam tuo iudicio? Et hoc casu actio nihilominus dabitur creditori primum in eum solum, a quo fundus legatus erat, neque alios haeredes cogetur convenire, nisi in id, quod ab illo uno consequi non potuerit. Neque enim utique ab haerede totum debitum creditor consequitur, sed quinque duntaxat, si pluris non sit fundus legatus. Et haec sententia est. l. cum ab uno 55. de leg. II. in qua pro dictione so- LVM posita secundo loco, habent Pandectae Florentinorum PRIMVM. Ego utramque dictio- nem retineo.

IX. IDEM.

In lege Falcidia placuit, ut fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerint, augeant hereditatis aestimationem fundi nomine, qui videtur illo in tempore fuisse pretiosior: circa ventrem ancillae vero nulla temporis admissa distinctio est, nec immerito, quia partus nondum editus, homo non recte fuisse dicitur.

S V M M A R I V M.

1. Frumentum maturum tempore mortis testato- ris auget hereditatem.

2. Partus ancillae, qui in utero est, non habe- tur pro nato in ratione legis *Falcidiae*.

[1.]



OVEANVS. Frumentum maturum tempore mortis testatoris pendens (nam collectum *fructus* non dicitur, sed corpus est separatum,) habetur pro demesso, & auget haereditatem in ratione legis *Falcidiae*, quia iam *frumentum* appellatur, & per consequens in restitutionem venit haereditatis. *I. centurio 15. de vulg. & pupil.* Quo in loco scribit Iureconsultus, *a filii haerede bona militis cum fructibus, in haereditate inventis, restitui*: hoc est, cum fructibus maturis pendentibus tempore mortis militis, quae restitutio *ex causa veluti fideicommissi fieri* dicitur, in *I. precibus 8. C. de impub.* Itaque *I. in fideicommissariam 18. ad Treb.* de aliis fructibus intelligenda est, quam qui maturi pendent tempore mortis testatoris; de quo scripsi ad *d. I. Centurio*. Alias autem maturi fructus pen-

dentes in fructibus numerantur, & ad eum pertinent, cui testator usumfructum fundi reliquit, *I. si pendentes 27. de usufr.*

[2.] Partus autem ancillae, qui in utero est, non habetur pro nato in ratione legis *Falcidiae*, quamvis matris pretium augeat. *I. si quod ex Pamphila 73. de legat.* *II. quia nomine speciei suae non appellatur ante, quam editus sit: hoc est, homo non appellatur, sed magis pars viscerum matris, in I. 1. §. ex hoc rescripto I. de vent. inspic. & spes animantis.* in *I. vetat lex regia 2. de mort. infer.* Sane si de commodis eius, qui in utero est, agatur, pro nato haberri solet. *I. qui in utero 7. de statu bom.* Quin & in usucacione partus ancillae furtivae quasi iam editus pro furtivo habetur, neque potest vel a sure, vel ab eius haerede usucapi, *I. aliena 10. §. Scaevola 2. de usucap.* de quo plura scribemus in lib. de usucap.

X. IDEM.

Quod supra quadrantem ad haeredem potest pervenire, supra dodrantem in pecunia legatum non onerat haeredem: veluti haereditas pupilli, si forte substitutus fit ex haeredato, qui patri pupilli haeres extitit.

S V M M A R I V M.

Non quidquid ex testamento & quasi heres capit, legatariis proficit.

GOVEANVS. Qui in bonis quadringenta habebat, Titum haeredem institutum filio exhaeredato substituerat: a Titio ipsa cccc. legaverat: quae cum legis *Falcidiae* dimunitione Titius praestiterat. Mortuo impubere exhaeredato ex substitutione centum ad Titum perverunt: legatarii augeri sua legata postulabant, novae huius haereditatis accessione. PAPINIANVS respondit, ultra dodrantem suae pecuniae frustra testatorem legasse, propter id, quod ex re alterius poterat ad haeredem pervenire. Movet, quod substitutus filio etiam exhaeredato secundus testatoris haeres diceretur. *I. 1. de vulgari & pupil.* de quo eo loco plene scripsimus: & stricta ratione a testatore capere Titius videatur, quod ex testamento caperet. Vera tamen ratio facit, ut a pupillo capere intelligatur, qui ex re pupilli capit, quamvis iudicio testatoris capiat. *I. si is, qui 6. de vulgari & pupil.* Cui sententiae illud consequens est, ut si pupillo ex parte instituto cohaeres sit substitutus, ea bonorum pars, quam ex substitutione a pupillo

capere intelligitur cohaeres, legata non augeat: nam & alius pupillo substitutus legata non ex tota pupilli haereditate praefat, sed ex ea tantum parte, quae ad pupillum a patre promanavit. *I. sequenti. §. quod vulgo. 5. b. t.* Vnde sit, ut exhaeredato substitutus nullo omnino legato onerari possit, nisi idem haeres sit institutus *d. I. seq. §. ulti.* quae sententia est verborum extremorum legis nostrae, *QVI PATRI HAERES EXTITIT: & haeres institutus, ultra dodrantem tamen bonorum testatoris, onerari legatis non possit, sive in primis, sive in secundis tabulis. d. §. ulti. legis sequentis, in quo ACCVRSIUS lapsus videtur.* Non igitur quicquid ex testamento capis, & quasi haeres capis, tuis proficit legatariis, & tibi in quadrantem imputatur, nisi ex re capias testatoris, & quasi haeres. *I. cum pater filiae 60. hoc eod. tit. de quo scripsi ad I. 1. §. id, quod ex substitutione 17.* [DICTABAT ANTONIVS GOVEANVS GRATIANOPOLI ANNO A CHRISTO NATO M. D. LVI.]

XI. IDEM Lib. xxix. Quaestionum.

In ratione legis Falcidiae retentiones omnis temporis haeredi in quadrantem imputantur.

S V M M A R I V M.

1. *Retentiones b. l. intelliguntur legata, quae apud ipsum heredem remanent.*
2. *Remanent autem, quae ab initio non constiterunt, aut postea defecerunt.*
3. *Caduca unde dicta?*
4. *Quae in b. l. dubitandi ratio?*

[1.] **G**OVEANVS. Docuit Iu-
reconsultus in *lege proxima*
superiore, id quod ex re
alterius, quamvis testato-
ris voluntate, ac iudicio,
ad haeredem pervenit, in
Falcidiam non imputari; nunc docet, id, quod
retinetur ab haerede, in *Falcidiam* imputari.
Retineri autem in *l. in quartam* 91. & in *l. ac-
ceptis* 93. *hoc titulo*, & *l. deducta* 58. §. *num-
mis* 4. *ad Trebel.* dicitur id, quod de haeredi-
tate, quam quis rogatur restituere, deducere
iussus est. Hoc autem loco *retentiones* accipien-
dae sunt pro legatis, quae apud ipsum haere-
dem remanent.

[2.] Remanent autem & quae ab initio non
constiterunt: cuiusmodi ea sunt, quae pro non
scriptis habentur, & quae postea defecerunt. Ea
autem duorum sunt generum: aut enim *quasi
caduca*, aut *caduca* appellantur. *Quasi caduca*
sunt, quae iis relicta sunt, qui vivo testatore
decesserunt, aut quorum conditio vivo testatore
defecit. Quae post mortem testatoris desciunt;
caduca nominantur, quae & ipsa *ex IVSTINIA-
NI* constitutione apud haeredem remanent: in
quibus olim solos liberos & parentes haeredes
institutos usque ad tertium gradum ius antiquum
habuisse ex *lege Papia*, testatur **VLPIANVS** in
Institutionibus, & Imperator in *l. unica* §. & cum
lex. 2. de cad. tollen.

[3.] Dicta autem *caduca* idem **VLPIANVS**
existimat, *quia ab iis ceciderit is, cui relicta
sunt.* Legata item, a quorum petitione potest
legatarius exceptione submoveri, apud haere-
dem remanent, & ei in quartam imputantur.

5. *An semper heres retineat, quae pro non scri-
ptis habentur, & quae quasi & vere caduca
sunt?*
6. *Quomodo, quae apud heredem remanent, re-
maneant?*

1. *non est dubium* 50. *l. nec interest* 51. *l. ex affe-*
52. *hoc tit.* Quin & quaedam, quae ut indignis
auferuntur, apud haeredem remanent. *l. 5. §.*
amittere 2. *l. in fraudem* 10. §. 1. & *l. ult. de
iis*, quib. *ut indig.* quamvis regulariter, quae
ut indignis auferuntur, Fisco applicentur. *l. Pa-
pinianus* 8. §. *meminisse* 14. *de inof. testamen.*

[4.] Ratio dubitandi in lege hac, illa est.
Quia quae apud haeredem remanent ex iis cau-
sis, quas enumeravimus, ex iudicio testatoris
ad haeredem non perveniunt. Ratio vero de-
cidendi, quia ex re testatoris sint, que ex iis
causis retinentur, eaque haeres retineat quasi
haeres. *l. id autem* 76. *infra eod.* Quae eadem
decidendi ratio est in *l. quod si alterutro* 78.
hoc tit.

[5.] Quaero, num semper, quae pro non
scriptis habentur, & quae in causa caducorum
versantur, quaeque vere caduca sunt, apud
haeredem remaneant? Et respondeo, remane-
re: nisi haeredi obstet vel substitutus, vel con-
iunctus. Quod si & substitutum & coniunctum
habeat legatarius, praefertur substitutus. *d. l.*
unica. §. in primo 3. de cad. tol.

[6.] Quaero, quae remanent apud haere-
dem, quomodo remaneant? Et siquidem pro
non scriptis habeantur, sine onere remanent,
nisi in casibus *l. cum vero* 26. §. *si pro non scrip-
to* 6. *de fideicom. libert.* & *l. ult. de iis*, quae
pro non scrip. & si qui praeterea reperiri possint.
Quae vero *quasi caduca* sunt, quaeque proprie-
caduca dicuntur, & apud haeredem cum onere
remanent, & ad substitutos & coniunctos cum
onere pertinent. §. *pro secundo* 4. §. *in novissi-
mo* 5. *de cad. tollend.*

§. 1. Ait **PAPINIANVS**: *Si servus, sub conditione libertate data, vita deceserit:
siquidem impleta conditio quandoque fuerit, haeredi non videbitur periisse. Quod
si defecerit, in contrarium ratio trahit, sed quanti statuliber moriens fuisse vide-
bitur.*

S V M M A R I V M.

1. *Servus, si post testatorem moritur, heredi perit.*
2. *Quod idem in statu liberis obtinet.*
3. *Sin mortuo statu libero conditio demum exti-
terit, hereditati servus periisse intelligitur.*

G O

[1.] **COVEANVS.** Servi, qui post testatorem diem suum obeunt, in ratione legis *Falcidiae* ponenda, scripto haeredi periisse intelliguntur, neque propterea legata minuantur. *l. in quantitate 73. hoc tit.* Verum quia legatariorum interest, servum plurimi aestimari, haeredis autem, ut quam minimo aestimetur, ideo interventu Arbitri de *Falcidia* cognoscendis, servi sit aestimatio. Et si quadrans est virginis quinque, & servus, qui obiit, viginti quinque dignus fuerit, nihil haeres de legatis retinebit: si vero dimidio minoris servus fuerit, duodecim tantum & semissem haeres detrahatur *Falcidiae* nomine.

[2.] Idem dicendum est de iis, qui statul-

beri deceperunt, si conditio postea libertatis defecerit, nam & ii haeredi periisse intelliguntur, eiusque quadrantem minuantur. Verum ii aestimantur, non quanti hodie essent, si vivarent, sed quanti tum erant, cum deceperunt. Nam hodie si viverent, servi essent: deceperunt autem statuliberi. Quin autem servi pluris sint, quam statuliberi, in dubium non venit, propter conditionem libertatis, unde *statuliber* appellatur, *l. 1. de statulib.*

[3.] Quod si mortuo demum statulibero, conditio libertatis extiterit, haereditati periisse servus intelligitur, eamque totam minuet, non solum haeredis quadrantem, neque de eius aestimatione ambigunt haeres & legatarii, cum de universa hereditate premium detrahatur.

¶. 2. **PAPINIANVS** ait, *Imperator M. ANTONINVS decrevit, haeredes, quibus pars bonorum ablata est, non in ampliorem partem, quam pro ea parte, quae relicta est, legatorum nomine teneri.*

S V M M A R I V M.

1. *Portio bonorum, quae scripto heredi aufertur, legata pro portione immunit.*
2. *Et contra portio, quae per bonorum possessionem accedit, legatariis proficit.*

3. *Idem in fideicommiss. obtinet, relictis ab eo, quem solum tibi heredem ab intestato fore existimaveras.*
4. *Sed aliud iuris est in casu l. 40. de Leg. III.*

[1.] **COVEANVS.** Portio bonorum, quam vel querela inofficiosi testamenti, vel bonorum contra tabulas possessionem, scripto haeredi aufert, legata pro portione immunit: ut ecce, Frater praeteritus a fratre instituto semissem haereditatis abstulit per bonorum possessionem contra tabulas, in partem legatorum exoneratur institutus: cum verisimile sit, minus testatorem legatum fuisse, nisi solidum patrimonium ad haeredem sperasset perventrum. De quo plene scripsimus ad *l. & si contra tabulas. 35. de vulga.*

[2.] Ex contrario quoque portio, quae per bonorum possessionem contra tabulas accedit, le-

gatariis scripti haeredis proficit, *d. l. & si contra.*

[3.] Idem dicendum de fideicommissis relictis ab eo, quem unum existimabas tibi haeredem futurum ab intestato: nam si duo tibi haeredes extiterunt, in partem dimidiad fideicommissorum exoneratur is, a quo fideicomissa reliquisti. *l. cum pater 77. §. cum existimaret 29. de leg. II.*

[4.] Aliud dicendum est in casu legis, *post emancipationem 40. de leg. III.* Quamvis enim duo haeredes existant ei, qui unum se habitum existimabat, nihil tamen de fideicommissis diminuit is, a quo erant relicta, si cohaeredirogatus fuerat restituere dimidiad partem haereditatis.

¶. 3. Ait **PAPINIANVS:** *Cum quidam, parte dimidia bonorum adempta, relegatus fuisse, idemque provocatione interposita, testamento postea facto obiisset, atque post mortem eius, non recte appellatum, esset pronuntiatum: quae situm est, utrum aeris alieni loco pars dimidia abscederet, ut residua sola videretur fuisse in bonis: an vero succurri haeredi necessarium videretur? Sed videtur succurri debere, cum animus litigantis, & obtinendi votum hanc opinionem admittat.*

S V M M A R I V M.

1. *Sententia relegato haud omnia bona auferre potest.*
2. *Testamentum relegati & deportati, pendente appellatione factum, valet.*
3. *Mortuo relegato pendente appellatione criminis causa extinguitur, non bonorum; mor-*

[1.] **G**OVEANVS. Relegatus omnia sua, & iura, & bona retinet, nisi si quid ei forte absulit sententia relegationis, *l.* relegati *4. de interd. & releg.* Neque tamen bona omnia auferre relegato sententia potest, id enim esset vitam eripere & libero & civi. Sane deportationis sententia, quae in locum interdictionis aquae & ignis successit, bona omnia ipso iure damnato auferunt, & si iudex nihil de bonis pronuntiet. *l. 1. de bonis damnat.* Itaque testari non potest deportatus, relegatus potest. *l. eius. 8. de testam.*

[2.] Ait Iureconsult. *Appellatione interp.* quae sententiae effectum suspendit. *l. furti. 6. de iis, qui not. inf.* Quod si relegatus ante sententiam testamentum fecisset, minus dubitaremus, num pars bonorum per sententiam adempta loco aeris alieni decederet. Non solum autem relegati testamentum, pendente appellatione factum, valet, verum etiam deportati: & si interim decebat deportatus, valebit testamentum, quia nondum capite minutus intelligitur. *l. si quis filio 6. §. 2. autem. de iniusto test.* Confirmata vero eo adhuc vivo sententia, rumpitur deportati testamentum: relegati non rumpitur,

- tuo vero deportato utriusque.*
 4. *Pars dimidia bonorum, per sententiam ablata, non computatur.*
 5. *Quare aequum sit heredi per Praetorem succurri?* quia relegatus capite non minuitur.
- [3.] Ait Iureconsult. *Atque post mortem eius non recte appellatum, esset pronuntiatum.*) Mortuo relegato pendente appellatione, criminis causa extinguitur, bonorum per sententiam ademptorum durat. Mortuo vero deportato pendente appellatione, & criminis & bonorum causa extinguitur. *l. 3. C. de bon. damnat.*

[4.] Ait Iureconsult. *Vtrum aeris alieni loco pars dimidia abscederet.*) ita ut aestimando patrimonio testatoris, de quo legata praestari debent, pars ista dimidia bonorum per sententiam ablata non computetur.

[5.] Ait Iureconsult. *Sed videtur succurri deb. &c.)* Reddit PAPINIANVS rationem, non quare necesse sit, haeredi per Praetorem succurri, sed quare aequum sit. Nam succurri ideo necesse est, quia stricta ratione haeres tenet legata praestare, habita ratione universi patrimonii, quod testator reliquit. Succurri autem ideo est aequum, quia verisimile sit, minus testatorem legaturum fuisse, nisi sperasset in causa appellationis obtinere. Adiuvat hanc aequalitatem illa etiam ratio, quod propter testatoris delictum dimidia pars bonorum haeredi sit adempta, non ex nova ulla causa.

¶ 4. Ait PAPINIANVS: *Si servus testamento manumissus ante aditam haereditatem decebat, haeredi quidem periisse intelligitur. Sed cuius pretii erit, qui si viveret non aestimaretur? nam & eos, qui ea valetudine affecti fuerant, ut eos non posse vivere certum esset, tamen si postea moriantur, haereditati periisse rescriptum est. Nec aliud in iis, qui sub eodem tecto fuerant, cum dominus a familia necaretur.*

S V M M A R I V M.

1. *Servi, ante aditam hereditatem mortui, premium non deducendum.*
2. *Locus hic citra emendationem intellectu difficilis.*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Ante aditam haer.*) ac proinde ante quam libertas competeret, *l. nam cum 8. quando di. lega. sed.* Quare cum servus decebat, facile quis dixerit haeredi periire, neque eius premium de haereditate deducendum.

[2.] Ait Iureconsult. *Haeredi quidem periisse*

intell.) Ingenu confiteor, locum hunc a me non intelligi. Neque vero aequum videtur, servum eum haeredi intelligi periisse, qui, si hodie viveret, in haereditate non esset, liber enim esset. Quare semper locum hunc ita legendum existimavi, QVIDAM PERIISSE INTELIGUNT: quorum sententiam PAPINIANVS varie ac subtiliter confutat. Primum enim, qui haer-

haeredi perit, aestimetur necesse est, propter eam causam, quam diximus ad §. *si servus 1. bac eadem lege.* Aestimari autem non potest, qui, si hodie viveret, non aestimaretur, quia liber esset. *l. servum filii 44. §. si statuliberum 8. de lega. 1.* Tum vero servos, quos testator moriens tam gravi affectos valetudine reliquit, ut certum esset morituros, haereditati perire, rescriptum esse, quamvis post testatorem decedant. Quare testamento manumissi, decedentes ante aditam haereditatem, haereditati peribunt, in

qua certum erat, non remansuros. Quin & servos ex S. C. *Claudiano* supplicio affectos, propterea, quod cum sub eodem tecto essent, dominum, cum necaretur, non defenderint, haereditati periisse intelligi, & eorum pretium de haereditate deduci. *l. aeris alieni 39. hoc tit.* quamvis eos testator moriens in bonis reliquerit. Quaero, cui pereant, qui simul cum testatore pereunt? Et Iureconsultus in *l. sed & 18. de reb. dub.* haereditati perire scribit.

§. 5. Ait PAPINIANVS, QVOD vulgo dicitur, in tabulis patris & filii unam Falcidiam servari, quam potestatem habeat, videndum est. Quamvis enim substitutus, quae a pupillo relicta sunt, cum filius haeres extiterit, ut aes alienum quodlibet debeat: tamen propter ea, quae secundis tabulis data sunt, contributioni locus est. Secundum quod potest evenire, nec substitutus quidquam retineat, vel ut longe plus habeat quarta paternae haereditatis, quid ergo si non sufficiat pupilli haereditas, cum patris suffecisset? De suo quadrante ninirum dabit substitutus, quae pater legavit de suo; nec ad rem pertinet, quod ex nullo testamento praestatur ultra vires patrimonii, cum in hac parte iuris legata, quae secundis tabulis relinquuntur, quasi in primis sub conditione relicta intelliguntur.

S V M M A R I V M.

1. *Vna in duplicibus tabulis Falcidia servatur.*
2. *Substitutus, si filius abstinet, legata ab instituto relicta debet, quasi ab ipso substituto repetita.*
3. *Cum vero filius heres extiterit, substitutus legata ut aes alienum debet.*
4. *Habita tamen ratione bonorum, quae a patre ad pupillum pervenerunt.*
5. *Quid contributio bac in re faciat.*
6. *Si patrimonii testatoris ratio habetur, omnino praestari est necesse, quod is recte legavit.*
7. *Aucta tamen a pupillo hereditate plus quarta hereditatis paternae retinet.*
8. *Vocabulum quadrante b. l. interpretis est.*
9. *Non uno casu de suo praestare heres cogitur, quod testator de suo reliquit.*
10. *Refutantur, qui putant b. l. PAPINIANVM exponere casum, quo substitutus nihil retineat.*

[1.]  OVEANVS. Vulgari & communi Iureconsultorum sententia, una Falcidia in duplicibus tabulis servatur: in quibus & si duae versentur haereditates, patris videlicet & filii, tamen unum patrimonium est, cuius ratio habetur in legatis praestandis, etiam secundarum tabularum: in quibus, quasi in suo testamento, legare testatori licet. Itaque communi calculo utrarunque tabularum legata subiici est necesse. Quorum si ratio separetur, praeter id, quod absurdum sit, eorum legatorum, quae ex eodem patrimonio reliqui intelliguntur, rationem sciungere, fraus etiam legi Falcidiae fieret. Ponamus, qui centum in bonis relinquebat, in primis tabulis quinquaginta legasse, & in secundis quinquaginta. Si primarum tabularum legata per se spectemus, & a legatis secundarum tabularum separamus, Falcidiae locus non erit in primis tabulis: recte enim de centum legantur quinquaginta. Rursum si legata secundarum tabularum per se considerentur, Falcidiae quidem locus erit, sed quae sit duodecim & semis. Itaque testator de centum legaverit octoginta septem & semissem, qui duntaxat legare potuit septuaginta quinque.

[2.] Ait Iureconsult. Quamvis enim substitutus, quae a pupillo relicta sunt, cum filius haeres extiterit.) ex testamento. Potest enim abstinere, quo casu debebuntur quidem a substituto legata relicta ab instituto, verum non ut aes alienum, sed ut ab ipso substituto repetita, ex D. MARCI constitutione. *l. licet Imperator 74. de leg. 1. & de omnibus legatis, quasi omnibus a se relictis, Falcidiam detrahet substitutus.*

[3.] Ait Iureconsult. Ut aes alienum quodlibet debeat.) pupilli: cui ex pupillari substitutione succeditur, quod solvere tenetur non solum pupillo substitutus, verum qui vis pupilli haeres.

res. Et haec ratio est, propter quam videbatur substitutus sine diminutione legis *Falcidiae*, legata in primis tabulis relictam praetitare debere, quasi iam debita a pupillo, cuius ipse haeres esset. Sed ratio decidendi in contrarium illa est, quia propter legata secundarum tabularum, in primis minus legatum intelligitur: adeo ut si pupillus quinquaginta a se legata solverit, retento primo casu, conditione indebiti substitutus revocare possit partem legati indebitam.

[4.] Ait Iureconsult. *Tamen propter ea, quae sec. tab. data sunt.*) Quae licet ab haerede pupilli, & de pupilli haereditate praestantur, praestantur tamen habita ratione bonorum paternorum, quae ad pupillum pervenerunt. *l. qui fundum 87. §. qui duos 7. hoc tit. nisi in casu l. si filius 12. de vulg.* in qua separatis bonis paternis, legata ex secundis tabulis praestantur ex quantitate bonorum pupilli: De quo scripsimus ad d. *l. si Filius.*

[5.] Ait Iureconsult. *Contributioni locus erit.*) Contributio ostendit, quanto minus debuerit pupillus de legatis a se relictis.

[6.] Ait Iureconsult. *Secundum quod pot. even.*) quia patrimonii testatoris ratio habetur, quod is recte legaverit, praestari omnino est necesse; quare si centum in bonis reliquerit, & legaverit septuaginta quinque, & ad substitutum septuaginta quinque duntaxat pupillus transmiserit, sine ulla diminutione & retentione legata praestabit substitutus: neque pupillaris haereditatis, unde legata praestantur, ratio habetur: locus enim esset *Falcidiae*.

[7.] Ait Iureconsult. *Vel ut longe plus habeat quarta.*) Testator centum in bonis reliquit, & centum legavit: aucta est a pupillo haereditas ad ducenta: pupilli substitutus, siquidem pupillaris haereditatis ratio habeatur, *Falcidiam* non inducit: nam de ducentis, centum legari per legem *Falcidiam* potuerunt. Sed quia patrimonii testatoris ratio habenda est, de centum, quae testator reliquit, *Falcidiam* detrahet substitutus: & praeterea centum habebit, quae ipse pupillus acquisivit: itaque longe plus habebit hoc casu quarta paternae haereditatis.

[8.] Ait Iureconsult. *De suo quadrante nimicum dabit substitutus, quae pater legavit de*

suo.) Dictio *QUADRANTE* interpretis est, & quidem imperiti, & a margine in contextum irrepsit. De suo namque praestat substitutus, ad quem sexaginta duntaxat pervenerunt, cum testator, qui centum in bonis relinquebat, septuaginta quinque legavit. De suo praestare hoc casu substitutum ex ipsa *PAPINIANI* obiectione intelligimus. Est autem huiusmodi: Ex nullo testamento praestatur ultra vires haereditatis, quamvis in testamento locus non sit *Falcidiae*. *l. i. §. in quibusdam 12. tit. seq. l. i. §. si is, qui quadringenta 17. ad Treb.* Quare si ad substitutum sexaginta duntaxat pervenerunt ex pupilli testamento, quamvis *Falcidiam* non inducat, in plus tamen, quam ad eum pervenit, non tenebitur. Quam rationem parum ad rem facere, *PAPINIANVS* respondit: quia legata secundarum tabularum in primis relictam censentur sub illa conditione, *Si pupillus, &c.* in quibus quae versabatur haereditas, legatis sufficiebat.

[9.] Neque uno isto casu de suo praestat haeres, quod testator legavit de suo. Si enim ex centum septuaginta quinque testator leget, & in tantum bona decreverunt, ut minus septuaginta quinque supersint, solida nihilominus debentur legata. *l. in quantitate 73. infra eod.* Neque substituto damnsa ista sententia est, cui liberum est non adire ex substitutione, atque ita coget legatarios secundarum tabularum in partem legatorum decidere. *d. l. in quantitate.*

[10.] Eorum sententia, qui existimant, *PAPINIANVM* hoc loco exponere, quando substitutus nihil retineat, placere nullo modo potest: nam & inepta redditur obiectio: neque vere diceretur, *ex nullo testamento ultra vires praestari patrimonii:* & scribendum fuerat *QVID ENIM, non QVID ERGO.* Et eodem negotio illud quoque exposuisset Iureconsultus, quando substitutus plus habeat quartam paternae haereditatis. Postremo verisimile non fit, casum istum omissum a *PAPINIANO*, cum ad substitutum sexaginta perveniunt, cum essent de centum legata a testatore septuaginta quinque. Nostram istam emendationem *FELIX GUERRA*, homo doctissimus, & Delphinatus sui decus clarissimum, approbavit.

§. 6. *PAPINIANVS* ait, *Si filio suo duos substituerit, & alterius portionem one-raverit, tractari solet, an ex persona sua Falcidiam possit inducere substitutus, quam pupillas non haberet, vel unus pupilli substitutus. Et facile quis dixerit consequenter prioribus, quae de patrimonii ratione dicta sunt, non esse Falcidiae locum, & ultra vires portionis conveniendum alterum substitutum. Sed verior est diversa sententia, perinde huic quartam relinquendam existimantium, atque si ita patri haeres extitisset. Ut enim opes patris, & contributio legatorum inde capiunt & formam, & originem, ita plures substituti, subducta persona pupilli,* re-

revocandi sunt ad intellectum institutionis. Quid tamen dicemus de altero substituto, qui non est oneratus, si forte nondum legata pupillus a se relictā solverit, & aliquid ultra dodrantem sit in omnibus? & ipsum Falcidiam habiturum? at qui quartam habet, neque idem patitur instituti comparatio. Rursus si negemus, aliud aperte, quam quod vulgo probatum est, respondetur. Itaque varietas existet, ut is quidem, qui proprio nomine oneratus est, velut institutus desideret quartam: alter autem, qui non est oneratus, ut substitutus, licet portio eius largiatur, non in solidum conveniatur propter calculi confusionem. Huic consequens est, ut si pupillo de Falcidia cautum fuerit, duobus stipulatio committatur, vide licet in eam quantitatem, quam unusquisque sibi retinere potuisset.

S V M M A R I V M.

1. In inponenda Falcidiae ratione substituti pupillariter testatori succedere intelliguntur.
2. In singulis heredibus ratio Falcidiae ponitur.

3. Quae sit vera huius §. sententia? & quomodo interpongendus?
4. Quae autem ratio decisionis in contrarium?

[1.] **G**OVEANVS. Qui centum in bonis habebat, filium impuberem haeredem instituit: ab eo viginti quinque legavit: si filius in pubertate decederet, Titium & Maevium substituit: a Titio quinquaginta legavit, a Maevio triginta: filius in pubertate deceperit. Quaerebatur, possetne Titius, cuius portio exhausta est, ex sua persona *Falcidiam* inducere, quasi oneratus ultra dodrantem suae portionis. Et prima fronte facile quis dixerit, Titium *Falcidiam* detrahere non posse: cum patrimonium testatoris, cuius modus in legatis duplicium tabularum praestandis, spectari solet, legatis a Titio relictis sufficiat: itaque nec ipsum impuberem, si ab eo quinquaginta essent legata, *Falcidiam* retenturum fuisse, neque unum pupillo substitutum. Sed verior est sententia existimantium, Titium quartam suaē portionis retenturum, hoc est, duodecim & semissem, perinde quasi testatori successerit. Nam in inponenda ratione legis *Falcidiae*, substituti pupillares testatori succedere intelliguntur, quamvis pupillo succedant. *I. qui fundum. 87. §. qui filium. 7. hoc tit.* Quae illorum verborum sententia est, SVBDVCTA persona impuberis, &c.

[2.] In singulis autem haeredibus rationem *Falcidiae* poni constat. *I. in singulis 77. hoc tit.* Neque obstat *I. 1. §. Marcellus 3. tit. seq.* quam exponemus ad *I. in singulis 77. infra eod.* Ponamus, legata triginta septem & semissem, neque amplius pervenisse ad substitutum. Et hoc casu nihil retinet substitutus. Ponamus, legata quinquaginta & centum ad eum pervenisse, aucta haereditate a pupillo, habebit & quadrantem suae portionis substitutus, & praeterea quinquaginta, quae pupillus acquisivit. Ponamus postremo, legata triginta septem & semissem, & triginta tantum ad substitutum pervenisse: & hoc casu de suo septem & semissem praestabit sub-

stitutus: nam testator de quinquaginta recte tringinta septem & semissem legavit. Titius igitur ex sua persona, quasi primis tabulis institutus in quinquaginta, duodecim & semissem retinebit. Vt enim iam diximus, habenda ratio est portionis, unde legata relinquuntur, quemadmodum, uno substituto, haberetur ratio totius patrimonii. Maevius autem, a quo legata diximus triginta, *Falcidiam* ex sua persona inducere non potest, cum portionis suae quadrantem ei testator integrum, illibatumque reliquerit. Neque ei quicquam prosit, si ad intellectum institutionis revocetur, hoc est, si intelligatur testatori successisse: nam institutus in primis tabulis in semisse haereditatis, qui est quinquaginta, non oneratur, si ab eo triginta legentur.

[3.] Veruntamen, qui ex sua persona inducere *Falcidiam* non potest, facta contributione poterit, si pars legatorum impuberis, quae ad Maevii onus pertinet, cum legatis ipsius Maevii excedant. Legata namque posuimus xxv. ab impubere, quae a pupillo soluta non sunt. Ex iis duodecim & semis ad onus Maevii pertinent, quae contributa & commista cum triginta, quae a Maevio legata sunt, dodrantem portionis Maevii excedunt, qui quidem est triginta septem & semis. Quemadmodum enim, uno substituto, legatorum contributio ostendit, num testator ultra dodrantem suorum bonorum legaverit, ita duobus substitutis, facta contributio demonstrat, num legata ab uno relictā, eius portionis, unde relictā sunt, dodrantem excedant. Vterque itaque substitutus, tam oneratus ex sua persona, quam non oneratus, *Falcidiam* inducit: ille quasi in quinquaginta primis tabulis haeres institutus, hic vero quasi substitutus, facta, uti diximus, contributione, quamvis eius portio legatis, quae ab eo relictā sunt, sufficiat. Quod si impubes propter legata relictā in secundis tabulis, de suo legata solverit exacta cautione praetoria QVANTO AMPLIUS:

de qua diximus ad §. interdum 12. l. i. ea cautio utriusque substituto committetur, sed non in eandem quantitatem, sed quam quisque de sua portione retinere potuisset, si forte ex disparibus portionibus fuerant substituti. Et haec est sententia huius §. si filio suo. in quo locus ille, **V T E N I M O P E S P A T R I S, &c.** interpungendus sic videtur, *Vt enim opes patris formam capiunt & originem, & inde contributio legatorum, ita, &c.* Quorum verborum sententia illa est, *Vt enim in duplicibus tabulis opes & bona, de quibus legata relinquuntur & praestantur, capiunt patris formam, dicuntur namque patrimonium: & originem, quia a testatore proslu-*

unt, & promanant: & inde contributio legatorum nascitur, quia absurdum sit, separari legatorum rationem, quae ex iisdem bonis relinquentur.

[4.] Ratio autem decisionis in contrarium, incipit ab illis verbis, **I T A P L V R E S S V B S T I T U T I, &c.** Illa quoque verba, **E T A L I Q V I D V L T R A D O D R A N T E M,** sic interpungenda sunt, **E T A L I Q V I D u l t r a d o d r a n t e m s i t i n o m i n i b u s,** *Et ipsum Falcidiam habiturum?* Quemadmodum *Falcidiae* ratio ponatur, duobus im- puberibus uno dato substituto, dicemus ad l. pater. 14. §. duobus 2. hoc tit.

§. 7. Ait **PAPINIANVS**, *Quae situm est, si quis pupillo cohaeredem substituisset, quemadmodum Falcidiae ratio iniri debeat, & quale sit, quod vulgo dicitur, LEGATORVM RATIONEM SEPARANDAM?* *Dixi, quantum ad legata, quae pater a filio, item a substituto reliquit, nullam fieri posse separationem, cum communi calculo subiiciantur, & invicem inducant contributionem.* Sed legata, quae ab instituto extero relictā sunt, permisceri caeteris non oportere: ideoque quartam pupilli datae portionis habere substitutum, quamvis suam portionem habeat ut institutus: & aliam causam esse eius, qui ex variis portionibus haeres scriberetur. *Ibi enim legatorum confundi rationem, non minus quam si semel fuisse nuncupatus ex ea portione, quae conficeretur ex pluribus: neque referre pure facie, an sub diversis conditionibus sit haeres institutus.*

S V M M A R I V M.

1. Legata, quae pater a filio & substituto reliquit, nulla fieri potest separatio.
2. Coheres idemque substitutus legata a se relictā

- in primis & secundis tabulis non separat.
3. Nisi cum exhausta pupilli portio est, & is patri heres existit.

[1.]  **OVEANVS.** Ait Iureconsult. Nullam posse fieri separationem.) five unus, five plures sint substituti.

[2.] Ait Iureconsult. *Permisceri caeteris non oportere.)* cuius separationis ea vis est, ut quamvis cohaeres portionem suam illibatam habeat, tamen si pupilli portio exhausta sit, ex persona pupilli *Falcidiam* inducat, si modo patri haeres extitit pupillus. *l. qui fundum 87. §. qui filio 7. hoc tit.* Si enim integra portio pupilli sit, & cohaeredis exhausta, cohaeredis legatariis in solidum satisfiet. Exhausta utriusque portione, mortuo pupillo, legata omnia contribuuntur, ut quartam bonorum co-

haeres habeat. De quo plene dicemus ad d. l. qui fundum. §. ulti. Sane cohaeres idemque substitutus legata a se relictā, tam in primis quam in secundis tabulis, nunquam separabit, five pupillus haeres extiterit, five minime, quasi ex parte pure, ex parte sub conditione primis tabulis institutus. *l. cohaeredi 41. §. cohaeres 6. de vulgar.*

[3.] Ait Iureconsult. *Et aliam causam esse.)* Coheres idemque substitutus utique in ratione legis *Falcidiae* ponenda similis est ei, qui ex parte pure ex parte sub conditione primis tabulis instituitur, nisi cum exhausta pupilli portio est, & is patri haeres extitit: nam eo casu legata separantur.

§. 8. Ait **PAPINIANVS**, *Si quis exhaeredato filio substituit haeredem institutum, & ab eo tabulis quoque secundis legaverit, necessario ratio confundetur: cum ideo legata valere dixerit IULIANVS a substituto relictā, quod idem patri haeres extiterit.*

S V M

S V M M A R I V M.

1. *Vti a pupillo exhaeredato legatum relinqu non potest, ita neque ab ei substituto.*

[1.] **O**VEANVS. Pater filio im-
puberi rite exhaeredato substitue-
re potest. *l. i. de vulg.* Nam qui
in potestate est, praeteritus testa-
mentum iniustum facit. Quemadmodum autem
ab impubere exhaeredato, legatum relinqu nullum
potest, ita neque ab eius substituto. *l. cum quidam 24. C. de legat.* *l. ab exhaeredati 126. de leg.* *l. l. qui fundum 87. §. qui filios 7. hoc tit.*

[2.] Nisi impuberem exhaeredatum, fratri
haeredi instituto, pater substituerit. *d. §. qui filios.* vel ipsum substitutum exhaeredato haere-
dem sibi instituerit. Quo casu legata relictā in
primis tabulis, necessario confunduntur cum le-
gatis secundarum, quae non debentur a substi-
tuto tanquam pupilli, sed tanquam patris suc-
cessore, cui nisi succederet, legata non debe-

ret. Nam a pupillo legatum omnino nullum
relinqui potuit.

[3.] Quod ACCVRSIUS ad hunc locum,
& ad *l. quod supra 10. notat*, *Exhaeredati bona*
cum patrimonio testatoris commisceri, verum
non puto. Quamvis enim patrimonii testatoris
ratio habeatur in legatis praestandis duplicium
tabularum, non ideo tamen bona patris cum
bonis ipsius pupilli commiscebuntur. Quod si
fieret, aucta a pupillo haereditate, *Falcidiam*
non induceret substitutus. Quaero, quando
debeantur legata, relictā ab impuberis exhaere-
dati substituto? Et respondeo, deberi adita haer-
editate ex secundis tabulis, quamvis a morte
testatoris dies eorum cedat. *l. i. quando di. leg.*
ced.

XII. IDEM Lib. xxx. Quaestionum.

Si debitor creditore haerede instituto petiisset, ne in ratione legis Falcidiae ponenda, creditum suum legatariis reputaret: sine dubio ratione doli mali exceptionis apud arbitrum Falcidiae defuncti voluntas servatur.

S V M M A R I V M.

Creditor heres institutus Falcidiam cum suo credito compensat.

GOVEANVS. In imponenda ratio-
ne legis *Falcidiae* creditor haeres a
debitore institutus, suum creditum
detrahit. *l. in imponenda 6. C. ad leg.*
Falcid. De quo scripsimus ad *l. i. §. si debitor*
18. Neque civilis solum creditor, verum & is,
cui duntaxat naturaliter debetur. Exempli cau-
sa, qui pupillo creditit sine tutoris autoritate.
l. Stichum 95. §. aditio 2. de solution. Si tamen
creditor rogatus sit, suum creditum non deduce-
re, neque legatariis reputare, voluntas testato-
ris apud arbitrum *Falcidiae* servabitur, opposita
a legatariis exceptione *doli mali*. In dolo enim
haeres est, qui ex suis utilitatibus & rationibus
partim iudicium testatoris approbat, partim im-

probat. *l. penul. de coll. dot. l. avunculo 28. de*
donat. causa mor. Compensabit igitur creditor
Falcidiam cum suo credito, & ita, ut quantula-
cunque *Falcidia* compensationi sufficiat. Nam
si ea lege & conditione haeres esset institutus
ipso iure, hoc est, sine ope exceptionis, quae-
libet *Falcidia* universum debitum absumeret. *l.*
cum pater 77. §. Titio 31. de lega. ii. Neque
obstat. *l. quod de bonis 15. §. cum fideicommissum*
7. hoc tit. Ibi enim facta a testatore proponitur
compensatio, quae concurrentes & pares non
excedit quantitates. Aliud autem est *compen-*
sare creditum cum Falcidiae, aliud *creditum non*
reputare. Male ACCVRSIUS in *d. §. Titio.*
compensationem *computationem* interpretatur.

XIII. IDEM Lib. xxxvii. Quaestionum.

Si tacitum fideicommissum servus iniungente domino suscepit: habiturum eum legis Falcidiae beneficium, quia parere domino debuit, constitutum est. Idemque placuit in filio, qui fuit in patris potestate.

S V M M A R I V M.

1. Legata & Fideicomissa incapacibus relictā ad Fiscum pertinent.

[1.] **G**OVEANVS. Legata relictā iis, qui capere non possunt, ad Fiscum pertinent. *l. 1. de iure Fisci.* ita tamen, ut & Fiscus *Falcidiam* patiatur. *l. etiam si. 3. C. ad leg. Falcid.* Idem de fideicommissis, relictis ab intestato, dicendum est: in quibus etiam ex d. pii constitutione *Falcidiae* locus est. *l. filiusfamilias 18. hoc titu.* Idem dicendum, si haereditas restitui iussa sit incapaci. Nam & adversus Fiscum S. C. *Tribellianum* inducitur: nisi haeres in fraudem Fisci tacitam testatori fidem accommodaverit; quo casu *Falcidiam* non deducit, quia Fiscum fraudare voluit. *l. cum quidam 17. §. in tacito 2. de usūr.* Sane servis nostris, item & liberis, quos habemus in potestate, ad excusationem nostrum imperium sufficit in iis, quae atrocitatem non habent. *l. ad ea. 157. de reg. iur.* Quaero, si

2. Legatum tacitum cur dici nequeat?

maior institutionis, quam fraudis, modus sit, num in totum *Falcidiae* privetur haeres? Exempli causa: Rogatus erat haeres tacite universam haereditatem restituere ei, qui partem duntaxat capere poterat. Et hoc casu in ea tantum parte, quae ad Fiscum pertinet, ius *Falcidiae* amittit haeres. *l. haeres n. de iis, quib. ut indig.*

[2.] Tacitum autem fideicommissum dicitur, quod in fraudem Fisci, in tacitam haeredis fidem testator contulit. *l. in tacitis 103. de leg. 1. l. in fraudem 10. de iis, quib. ut indig.* Ita tacitum *Senatusconsultum* appellat *LIVIVS*, quod perscriptum non est: cuiusmodi illud fuit, quo adversus Persea, Macedoniae regem, bellum est decretum. Legatum tacitum dici non potest, quod necesse est in testamento relinquatur, vel scriptura testamento confirmata: ita enim definitur, *Donatio relictā testamento.*

XIV. IDEM Libro IX. Responforum.

Pater filiam, quae a viro diverterat, haeredem pro parte instituit, & ab ea petiit, ut fratri & cōhaeredi suo portionem haereditatis acceptam, deductā sexta, restitueret, admissa compensatione dotis in Falcidiae ratione. Si pater dotem consentiente filia non petiisset, Falcidiam quidem iure haereditario, dotem autem iure proprio, filiam habituram respondi: quia dos in haereditate patris non inveniretur.

S V M M A R I V M.

1. *Filia hic intelligenda, quam pater in potestate retinuit.*
2. *Quo iure pater filiam rogare posset, ut dotem in ratione Falcidiae compenset.*
3. *Quid autem, si sexta hereditatis pars una cum dote quadrantem portionis non efficiat?*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Filiam.* quam in potestate retinuerat, cum eam in matrimonium collocaret. Quae enim in manum conveniebant, patris potestate liberabantur, teste *VLPIANO* in *Instit.* Eo autem retentam in potestate filiam ponimus, quia emancipata sola *dotis* actionem habet. *l. 2. & l. filiae meae 59. solu. matrim.* Neque ullam ea dos reciperet dubitationem, cuius nomine patri actio nulla competenteret, divortio

4. *Quid iuris, si pater dotem exegit consentiente filia?*
5. *Quid autem, si sine filiae consensu?*
6. *Quid denique, si dotem sibi pater reddi stipulatus fuerit?*
7. *Falcidia iure testamenti retinetur.*
8. *In dote mulier institui nequit.*

matrimonio soluto.

[2.] Ait Iureconsult. *Quae a viro diverterat.* quo tempore iam actio de dote patri competit, adiuncta tamen filiae persona. *d. l. 2. sol. matr.* Atque ideo videbatur pater, filiam rogare posse, ut in ratione *Falcidiae* dotem compensaret & computaret. Id quod rogare pater filiam nullo modo potuisset, constante adhuc matrimonio, hoc est, eo tempore, quo nullum adhuc patri in ea dote ius esset: dotis namque dominus maritus est. *l. doce ancillam 9. C. de rei vind. l. quamvis 75. de iure dotium.*

[3.]

[3.] Ait Iureconsult. *Admissa compensatione dotis.*) pro summa concurrente. Quid enim si sexta haereditatis pars, quam pater filiam deducere iubet, una cum dote non efficiat quadrantem portionis, ex qua filia est instituta? Esto filia ex semisse instituta: quadrans est sescuncia: sexta pars uncia una: pone dotem non efficere semunciam.

Ait Iureconsult. *In ratione Falcidiae.*) Quae ex Pegasiano inducitur.

[4.] Ait Iureconsult. *Si pater dote consentiente filia non petiisset.*) Ad hoc, ut pater filiam rogare potuerit, de compensanda & computanda dote in ratione *Falcidiae*, oportuit, eum dotem per Iudicem petiisse, & consentiente filia petiisse. Alia enim petitio ius filiae non imminuit. Quaero, si pater dotem exegit consentiente filia, quid iuris sit? Item quaero, si sine filiae consensu exegit, quid iuris sit? Postremo, si dotem pater sibi reddi stipulatus fuerit, quid iuris sit? Ad primum respondeo, dotem a patre exactam de filiae voluntate, reliquis patris bonis immisceri, & de ea disponere patrem posse, quasi de suis bonis. *I. ult. commu. utr. iudic. nisi in casu d. I. ult.* Sane si iterum pater filiam in matrimonium collocet, dotem ei non potest diminuere: nisi calamitas aliqua eius bonis inciderit. *Novel. quamvis 97. c. 5. de rei uxori. act.*

[5.] Ad secundum respondeo, Si pater sine consensu filiae dotem exegit, superesse adhuc mulieri actionem de dote adversus maritum: sed si mulier a patre sit haeres instituta, *doli mali exceptione* repelletur. *I. cum dotem 22. §. si pater 3. solu. matr.*

[6.] Ad tertium respondeo, cum pater dotem sibi reddi stipulatus fuerat, dos patrimonium mulieris non erat, neque eam dotem mulier praecipuam habebat, nisi patri haeres extisset vel ex testamento, vel ab intestato. Quod si plures haeredes testator fecerat, in omnes scindebatur obligatio. §. *videamus n. de rei ux. act.* IVSTINIANVS tamen etiam hoc casu mulierem dotem praecipuam habere voluit. d. §. *videamus.*

[7.] Ait Iureconsult. *Iure haereditario.*) *Iure Falcidiae*, quam institutus retinet quasi haeres, & iure institutionis. Vnde fit, ut *aes alienum Falcidia* non dicatur. De quo diximus ad l. 1. Dicitur etiam *Falcidia iure testamenti retineri. l. qui duos 42. de vul.*

[8.] Ait Iureconsult. *Iure proprio.*) Mortuo patre dote non exacta, mulier suo iure dotem repetit, etiam exhaeredata vel praeterita, vel bonis paternis abstenta. *I. ulti. de coll. dotis.* ac propterea dos *patrimonium mulieris* appellatur in *l. denique 3. §. ergo 5. de minor. l. in eum. 16. de relig. & sumpt. fu.* Ex quo intelligi potest, in dote mulierem institui non posse, cum eius proprium sit patrimonium: & sive instituta, sive praeterita, sive exhaeredata, dotem habeat, quae ratio est decisionis. Sed videamus, cum patri morienti actio de dote competierit, quamobrem ea actio in bonis testatoris non computetur? Et puto, eo non computari, quia iure tantum potestatis competitierit. Si enim ex stipulatione competiisset, utique in eius bonis numeraretur, & inter haeredes scinderetur.

¶. I. Ait PAPINIANVS, AVIA nepotibus haeredibus institutis fideicommissit, ut omissa retentione, quae per legem Falcidiam ex alio testamento competebat, solidam legata fratribus & cohaeredibus solverent. Recte datum fideicommissum respondi: sed huius quoque onus in contributionem venire.

S V M M A R I V M.

In ratione leg. Falcidiae legata omnia contribuuntur.

¶. OVEANVS. Rem haeredis nostri legari posse constat, & legatum valere, etiam si testator rem suam esse existimaverit. *I. unum ex familia 67. §. si rem suam 8. de legat. II.* Sed in ratione legis *Falcidiae* ponenda, legata omnia contribuentur: tam quae testator de suis bonis reliquit, quam quae de bonis haeredis. Contributis autem ita legatis, intelligi poterit, num locus sit *Falcidiae*. Exempli causa, Testator, qui in bonis centum relinquebat, de suis bonis septuaginta quinque legavit, & de patrimonio haeredis viginti quinque: legi *Falcidiae* locus

est: & de septuaginta quinque legatis haeres viginti quinque detrahet. In ratione autem legis *Falcidiae*, haeredis & testatoris separari patrimonia oportere, argumento fuerit *I. in impo-nenda 6. C. ad leg. Falcid. & in l. ratione II. §. quod vulgo 5. supra eod.* Recte itaque PAPINIANVS respondit, *Aviam de bonis ipsorum haeredum recte fideicommissum reliquisse:* cum, uti iam diximus, res haeredum legari possint. Sed eius fideicommissi onus venire in contributionem. Illud constat, nepotes rogari non potuisse, ne *Trebellianum S. C.* inducerent. *I. quod bonis 15. §. ult. infra eod.*

¶. 2. Ait PAPINIANVS, *Duobus impuberibus substitutum, utrique haeredem existentem, in alterius haereditate Falcidia uti non convenit, si de bonis alterius impuberis quartam partem haereditatis patris, quae ad filios pervenerit, retineat.* Quod si frater fratri legitimus haeres extiterit, & impuberi supremo substitutus, portio quidem paternorum bonorum, quam intestatus puer accepit, rationi Falcidiae non confundetur: sed quartam eius tantum portionis substitutus retinebit, quam impubes accepit, qui substitutum habuit.

S V M M A R I V M.

1. *Substitutus duobus impuberibus, si utrique heres existit, in primis tabulis heres institutus videtur.*

2. *Neque refert, quomodo facta sit substitutio?*

[1.]



OVEANVS. Sublatis personis institutorum, substituti ad intellectum institutionum revocantur in imponenda ratione legis *Falcidiae*. De quo diximus ad §. *quod vulgo 5. l. in ratione II.* Itaque substitutus duobus impuberibus, ipsis de medio sublatis intra pubertatem, posteaquam patri haeredes extiterunt, in primis tabulis videtur institutus: & per consequens legata praestat, habita ratione utriusque semissis, & si in alterius portione quadrantem omnium bonorum testatoris habeat, sat habeat.

[2.] Neque refert, quomodo facta sit substitutio: an hoc modo, CAIO FILIO MEO IMPUBERI TITIVM SUBSTITVO. SEIO FILIO MEO IMPUBERI TITIVM SUBSTITVO. an hoc modo, CAIO ET SEIO FILIIS MEIS IMPUBERIBVS TITIVM SUBSTITVO. an hoc modo, EX FILIIS MEIS QVI SVPREMVS IN PUBERTATE MORIETVR, TITIVM SUBSTITVO: an hoc modo, SI AMBO IN PUBERTATE DECEDENT. quocunque enim modo fiat substitutio, si substitutus utrique impuberi haeres extiterit, quasi ex asse primis tabulis institutus legata praestabit. Nam & ita facta substitutione, EI, QVI SVPREMVS MORIETVR, vel, SI AMBO IN PUBERTATE DECEDENT, evenire potest, ut substitutus utrique haeres existat, pueris simul decedentibus. *l. ex duobus 34. l. qui duos 42. de vulg. l. qui duos 9. de reb. dub.* Neque alio casu contingit, ita factis substitutionibus, substitutum utrique impuberi haeredem esse. Si autem primis duobus modis fiat substitutio, sive simul pereant pueri, sive diversis temporibus, substitutus utrique haeres existet, & legata praestabit habita ratione utriusque semissis. Ponamus igitur, ita patrem

3. *Substitutus is non ei succedit, qui prior decepsit, licet in supremi hereditate eius quoque hereditatem inveniat.*

substituisse, EI, QVI SVPREMVS MORIETVR, vel, SI AMBO IN PUBERTATE DECEDENT, (eadem namque vis est utriusque substitutionis) & diversis temporibus pueros periisse, eius duntaxat, qui supremus decepsit, haereditas substituto desertur, eiusque portionis quadrante contentus esse cogitur. Ponamus enim eius pueri, qui prior decepsit, portionem legatis exhaustam, iure legitimo ad supremum puerum pervenisse: non inducit substitutus *Falcidiam* in portione eius pueri, qui prior decepsit, ut ita omnium bonorum quartam partem habere possit.

[3.] Neque enim ei, qui prior decepsit, succedit substitutus: quamvis in supremi haereditate primi quoque haereditatem inveniat. Aliud namque est, *haereditatem alicuius habere*, aliud *alicui haeredem existere*. Ita ex contrario, si prioris pueri integra fit portio, non ideo in supremi pueri portione *Falcidiam* omittet substitutus: cum neque iure substitutionis, neque iure accrescendi ad substitutum primi pueri portio pervenerit. Idem dicendum est in casu *d. l. qui duos*. in qua lege testator ita substituerat, CAIVM ET SEIVM FILIOS MEOS IMPUBERES HAEREDES INSTITVO. CAIO, SI AMBO IN PUBERTATE DECEDENT, SEIO, SI AMBO IN PUBERTATE DECEDENT, MAEVIVM SUBSTITVO, quo casu legata relicta a substituto eius pueri, qui prior deceperit, ad irritum resident: cum substitutioni locus non fuerit, sed duntaxat legitimis haereditibus. Sane legata, ab ipso puerō relicta, frater legitimus haeres praestabit, & quidem sine ulla diminutione, quasi aes alienum. Illud praetermittendum non est in *d. l. qui duos*. male ACCVRSIUM legere SEX VNCIAS, PRO SESCVNTIAM, qui est quadrans semissis: id quod ex §. *hoc manifeste* appetat.

XV. IDEM Lib. XIII. Responorum.

Quod de bonis iure Falcidiae contribuendum est a debitore, cui mortis causa pacto debitum remissum est, in factum concepta replicatione retinebitur.

S V M M A R I V M.

1. *Donationes mortis causa in cumulum bonorum referuntur.*
3. *Quae proprie mortis causa donatio?*
4. *Debiti remissio, instar mortis causa donatio-*

[1.]  O V E A N V S. Pandectae Florentinorum habent QVOD BONIS CONTRIBVENDVM. Idem PAPINIANVS in l. Seia 42. §. cum pater 1. de dona. causa mort. Cum pater in extremis vitae constitutus, emancipato filio quaedam sine ulla reddendi conditione donasset, ac fratres & cohaeredes eius bonis contribui donationes Falcidiae causa vellent, &c. Donationes igitur mortis causa referuntur in cumulum bonorum, ut inde *Falcidia* detrahatur.

[2.] Ait Iureconsult. *Pacto debitum remissum est.) De non petendo. Mortis autem causa pacto debitum remittitur, cum ea conditione remittitur, ut morte donatoris non insecura peti debitum possit.*

[3.] Ea namque demum *donatio causa mortis* proprie appellatur, quae reddendi conditionem habet. d. §. cum pater. & l. ubi ita 27. eod. titu. Si enim ita donatum sit, ut nullo casu revoctetur donatio, neque proprie mortis causa donatio est, neque *Falcidia* locum habet, cum inter vivos facta donatio intelligatur.

[4.] Ista autem debiti remissio, causa mortis donationis instar habet, atque ideo ad legem *Falcidiam* pertinet. Idem dicendum est, si acceptilatione mortis causa debitum remissum sit.

- nis, ad legem Falcidiam pertinet.
5. *Quid iuris, si legata sit debitori liberatio?*
6. *Quae in factum dicatur replicatio, sive exceptio?*

Nam & causa mortis donatus accepto ferre potest. l. *mortis causa*. 2. §. 1. de don. *causa mort.* Quamvis enim acceptilatio actus legitimus sit, neque diem, neque conditionem recipiat. l. actus 77. de reg. iur. mortis tamen causa fieri potest. Aliud enim est *mortis causa accepto ferre*, aliud sub conditione accepto ferre.

[5.] Quaero, quid iuris sit, legata debitori liberatione? Et hoc casu, si locus *Falcidiae* sit, liberationem pro parte duntaxat consequetur legatus ab haerede. Cui enim liberatio legata est, petere debet ab haerede, ut liberetur.

[6.] Ait Iureconsult. *In factum concepta replicatione.) In factum autem sive exceptio, sive replicatio appellatur, quae nomen non habet: Qua ratione & actio in factum appellatur. l. 1. de praescr. verb. Replicatio autem huiusmodi est, Ni testator tibi causa mortis plus remiserit pacto, quam per legem Falcidiam remittere potuerit. Quae replicatio haeredi necessaria non est, legata liberatione, quae, uti iam diximus, petitur ab haerede. Cui autem a testatore pacto remissum est, is ab haerede nihil petit: quin necesse est, ultro eum haeres conveniat, & appetat de contribuendo, quod pacto ei remissum est. Qui si opponat pacti exceptionem, in factum haeres replicabit. Atque ita debitum mortis causa pacto remissum a testatore, *Falcidiae* causa retinebitur ab haerede.*

¶. 1. Ait PAPINIANVS: *Frater cum haeredem sororem scriberet, alium ab ea, cui donatum esse volebat, stipulari curavit, ne Falcidia uteretur, & ut certam pecuniam, si contra fecisset, praestaret. Privatorum cautione legibus non esse refragandum constitit: & ideo sororem iure publico retentionem habituram, & actionem ex stipulatu denegandam.*

S V M M A R I V M.

1. *Comissa stipulatione legatario poenae persecutio non videtur deneganda.*
2. *Quum lege Falcidia prohibita non est.*

[1.] **G**OVEANVS. Ait Iureconsult. *Alium ab ea, cui donatum esse volebat.)* Vetus Codex ALIVM AB Eo. Et sane legatario non videtur poenae persecutio deneganda, commissa stipulatione. Nam si simpliciter spondeat haeres, *Falcidiam* se non deducturum, de legato nihil deducet. *l. si quod 78. infra eod. l. ulti. C. eod.* Alius autem quam legatarius, stipulando nihil aliud, quam legibus refragatur, cum eius non interfit. Alium quam legatarium stipulatum ex eo coniici potest, quod testator curaverit, ut stipularetur, & quod poenam stipulatus est ab haerede, si contrafaceret, sine qua inanis prorsus esset stipulatio, cum, uti diximus, eius non interesset. *l. quoties 59. de verb. oblig.* Certe

ipse testator frustra istud stipuletur ab haerede, ad quem ius stipulationis transmittit.

[2.] Ait Iureconsult. *Actionem ex stipulatu denegandam.)* Cum poena stipulationi adiicitur, certa & utilis redditur facti stipulatio. *l. cum poenam 68. de verb. oblig.* Ex eo autem, quod Iureconsultus ait, *denegandam poenae persecutionem ex stipulatu*, intelligimus, ipso iure competere. Quare dicendum est, cautionem istam, prohibitam *lege Falcidia* non esse. Si enim *lege Falcidia* esset prohibita, nulla ex ea cautione actio nasceretur. *l. si stipuler 75. §. 2. de verb. oblig.* Nam neque transactiones, legibus prohibitae, vim ullam habent: de quibus intelligenda est. *l. transfigere 18. de transact. C. quemadmodum scripsimus lib. 1. Letio. variarum.*

§. 2. Ait PAPINIANVS: *Non idcirco minus Falcidiae rationem in caeteris annuis legatis admitti visum est, quod primo ac secundo anno sine ulla detractione fuisse legatio soluta.*

S V M M A R I V M.

1. *Annua legata quomodo relinquuntur?*
2. *De quo anni legati genere hic §. intelligendus?*

[1.] **G**OVEANVS. Annua legata aut ita relinquuntur, **A**NNVA **D**ENA, aut ita, **C**ENTVM **A**NNVA **B**IMA **T**RIMA **D**IE. Cum annua dena relicta sunt, quia plura legata sunt, & annorum sequentium conditionalia, exacta cautione Praetoria, pensiones sine ulla diminutione interea solvuntur, donec ad eum annum pervenitur, quo *Falcidia* existet. Tunc enim retro pensiones diminuuntur per *legem Falcidiam*. *l. lex Falcidia 47. hnc tit.* De quibus legatis *paragraphus* hic intelligi non potest. Quae enim dubitationis ratio sit, cum primae pensiones ita praestitae sint, uti eas praestari oportuerit?

[2.] De altero igitur genere anni legati debet locus hic intelligi. Centum enim annua bima trima die legatis, primorum annorum pensionibus plene solutis, merito dubitaverit quis, num de pensione anni tertii possit haeres detra-

3. *Quae ratio dubitationis b. l.?*
4. *Quae vero decisionis?*

here *Falcidiam*.

[3.] Ratio dubitationis illa est, quia de omnibus pensionibus hoc casu *Falcidia* detrahitur, neque annus ultimus expectatur. *l. poenales 32. §. annua 3. infra eod.* Itaque primis annis praetermissa *Falcidia*, de pensione anni tertii videtur non posse pro superioribus annis retineri.

[4.] Ratio vero decisionis in contrarium, quod pluribus summis eidem personae legatis, in una servari *Falcidia* potest, etiam pro iis, quae datae solvaeque sunt: cum legatarii non interfit. Pluribus autem rebus legatis, in una re plena *Falcidia* non retinetur, nisi per doli exceptionem. *l. si ex pluribus 16. infra eod.* Interesse namque potest legatarii, non pati in una re plena *Falcidiam*. Quid enim si *Falcidia* rem totam absusat, qua legatarius carere nolit? Ad *l. 1. C. de fideicom.* non respondeo, quia nihil ad sententiam. *§. huius adtinet.*

§. 3. Ait PAPINIANVS: *Quod avus ex causa tutelae nepoti debuit, cum avo nepos solus haeres extitisset, ratio Falcidiae si poneretur, in aere alieno bonis deducendum respondi. Nec ad rem pertinere, quod haeredem avus, idemque tutor rogaverit, ut si sine liberis ante certam aetatem decederet, tam haereditaria bona, quam propria restitueret. Non enim ex hoc haereditatem debito compensatam videri: cum vel ideo maxime declaretur, non esse compensationem factam, quoniam haereditem*

dem suum habere propria bona defunctus ostenderit. Plane si conditio fideicommissi fuerit impleta, fructus haereditatis, post mortem avi percepti, pari pecunia debito tutelae compensabuntur: sed quartam haeres nepotis de bonis duntaxat, quae moriens avus reliquit, retinebit.

S V M M A R I V M.

1. Quae obscurissimi huius §. sententia?
2. Cur proprietorum bonorum fideicommisso teneatur nepos pro quantitate fructuum?
3. Quid iuris, si testator heredem rogat, de

[1.]



OVEANVS. Paragraphus hic in paucis obscurus numerari potest. Avus nepotem, cui ex tutelae administratione centum debebat, haeredem instituit, ac rogavit, ut si intra certam diem vita sine liberis cederet, bona tam haereditaria, quam propria Titio restitueret. Cum in ratione *Falcidiae* ponenda suum creditum cum reliquo aere alieno vellet nepos deducere, factam debiti cum haereditate compensationem legatarii contendebant, neque ullam eo nomine fieri oportere deducitionem. Verum PAPINIANVS respondit, nullam factam compensationem videri. Neque obstat, quod existente conditione fideicommissi, nepos proprietorum bonorum fideicommisso teneatur, quatenus ad eum ex iudicio testatoris pervenisset. Nam & isto casu non cum haereditate, sed cum fructibus pendente conditione perceptis debitum compensari: & quidem ita, ut si par quantitas fructuum & debiti sit, totum debitum extinguatur. Sin vero maior debiti quantitas sit, concurrentes duntaxat quantitates compensentur. Quod si fructum maior sit quantitas quam debiti, quod amplius est lucrari haeredem, neque ei in *Trebellianicam* imputari: Et de iis duntaxat bonis, quae avus moriens reliquit, haeredem nepotis quartam retinere.

[2.] Quaero, quamobrem fideicommisso bonorum proprietorum nepos teneatur pro quantitate duntaxat fructuum? Et respondeo, quia nihil praeter fructus nepoti avus relinquere videtur. Nam quartam bonorum ipsius avi ex Senatusconsulto capit: fructus pendente conditione perceptos, ex iudicio testatoris. *I. mulier 22.* §. si haeres 2. ad *Treb.* Sane si testator haereditatem cum debito compensatam voluit, ipsam

- bonis tam hereditariis, quam propriis statim restituendis?
4. PAPINIANVS hic de duobus casibus respondet.

quoque quartam in compensationem venire, §. prox. seq. PAPINIANVS responderet. Quid ergo, si testator hac lege haeredem instituat, ut existente conditione bona tam haereditaria, quam propria restituat? Et eo casu quantulacunque quarta compensationi sufficit. *I. cum pater 77. Titio 31. de leg. II.* Quid si plus in fructibus sit, quam in debito, quamobrem, quod plus est, in quartam hoc casu haeredi non imputatur, cum fructus regulariter imputentur? *I. in fideicommissariam 18. ad Treb.* Et dici possit, voluntate id fieri testatoris, qui cum fructus haeredi relinqueret, quem de propriis bonis restituendis rogaverat, non pluris eos vindetur aestimasse, quam quod haeredem restituere rogabat. Quamobrem nepotis haeres de bonis duntaxat, quae is moriens reliquit, quartam retinebit, neque in eam imputabuntur fructus, qui postea percepti sunt. Sane fructus, de quibus superius diximus, ad *I. in lege Falcidia 9.* imputabuntur in quartam: augent enim haereditatem.

[3.] Quaero, quid iuris sit, si testator haeredem roget de bonis tam hereditariis, quam propriis statim restituendis? Et eo casu proprietorum bonorum fideicommisso haeres non tenetur, ne pro quantitate quidem *Falcidiae*, quam de bonis retinet testatoris: nisi ea lege proponatur institutus, ut iam diximus. Bona autem testatoris detracta quarta restituet.

[4.] Illud animadversione dignum est, PAPINIANVM de casibus duobus respondere, qui evenire simul non possunt. Nam si adversus legatarios *Falcidiem* nepos inducat, certum est, bonorum proprietorum haeredis fideicommissum expirare, cui a testatore nihil sit relictum. Quin & bonorum quoque ipsius testatoris fideicommissum evanescit, cum *Falcidiae* portio in fideicommissum non veniat.

¶ 4. Ait PAPINIANVS: Cum fideicommissum ex voluntate matris a patre moriente debitum esset filio: pater haereditatem suam, quam in filium conferebat, compensari voluit cum eo, quod filio deberetur. Si ratio *Falcidiae* ponit coepit: fini quadrantis, quem ex bonis patris cum effectu percepit, compensabitur: atque ita superfluum aeris alieni dodranti tantum detrahatur.

S V M M A R I V M.

1. Varians lectio ex Pandect. Flor. de promta.
2. Quae sententia verborum: SI RATIO FAL-

- CIDIAE PONI COOPERIT?
3. L. 14. supr. b. t. huc nihil facit.

[1.] **G**OVEANVS. Locus hic aliter in Pandectis Florentinorum, aliter in vulgatis codicibus legitur. Sed utriusque lectionis eadem sententia est. Vxor maritum haeredem institutum rogavit, ut post mortem filio communi haereditatem restitueret. Pater moriens filium haeredem instituit, ac rogavit, ut suam haereditatem cum debito compensaret: Et ab eodem filio legata reliquit supra dodrantem haereditatis. Quaesitum est, num tota haereditas in compensationem veniret, cum ex ase filius esset institutus, an vero ea pars haereditatis, quae cum effectu ad filium pervenerat, hoc est, quarta, cuius per legem *Falcidiā* haeres retentio nem haberet. Et respondit **PAPINIANVS**, hanc duntaxat partem in compensationem venire. Nam dodrantem, legatis erogatum, non videri ad filium pervenisse. Quare si *Falcidiā* debito non sufficiat, superfluum aeris huius alieni de reliquo dodrante detrahendum.

[2.] Quaero, quae vis illorum verborum sit, SI RATIO FALCIDIAE PONI COOPERIT? Et respondeo: Si ratio *Falcidiæ* non ponatur,

compensationem non esse necessariam: cum haeres suum creditum tum demum deducat, cum *Falcidiā* locum habet: Compensationem porro tum ei opponi, cum deducere suum creditum parat. Quaero, quamobrem hoc casu *Falcidiā* compensationi non sufficiat, hoc est, quamobrem vel minima *Falcidiā* totum debitum non extinguat? Et respondeo, quia facta sit a testatore compensatio, quae eatenus facta videtur, quatenus cum effectu ad haeredem perveniret. Sane si testator creditorem haeredem institutum roget, ne creditum suum reputet legatariis, dicendum est, quantulamcumque *Falcidiā* compensationi sufficere, opposita *doli* *mali* exceptione. l. debitor 12. supra eod. Aliud enim esse, *rogari haeredem*, ut *compenset haereditatem cum debito*, aliud, ne reputet suum creditum.

[3.] Ad l. pater 14. supra eod. ab ACCVRSTO hoc loco citatam, eo non respondeo, quia nihil ad sententiam legis huius adtinet, in qua scilicet neque pater filiae, neque filia patri quicquam debet.

§. 5. Ait **PAPINIANVS**: *Ex donationibus in uxorem collatis quod haeres eius reddere viro cogitur, in bonis mulieris non erit: nam ita fit locupletior, ut tanto pauperior esse videatur. Quod autem haeres inde minuit, viro non perit.*

S V M M A R I V M.

1. Quibus ex causis donationes inter vir. & uxor. sunt permisae?

2. Quae ratio dubitationis b. l.?
3. Quae autem decisionis?

[1.] **G**OVEANVS. Inter virum & uxorem donationes ex iis fere causis permisae sunt, mortis, divorcii, exilii, manumissionis, dignitatis adipiscendae. Extra has causas inter virum & uxorem prohibitae donationes sunt, morte tamen mariti confimantur, l. cum hic status 32. de don. inter vir. & uxor. Praemortente vero uxore, ad virum res illicite donatae revertuntur. Itaque mulieris haeres in ponenda ratione legis *Falcidiæ*, cum reliquo aere alieno istas quoque donationes deducit.

[2.] Ratio dubitationis, quia cum mulier facta locupletior videatur (hae namque demum

inter virum & uxorem donationes prohibitae sunt, ex quibus qui accipit locupletior fit, qui dat, pauperior, l. si constante matrimonio 25. de donat. inter vir. & uxor.) in patrimonio uxor's donationes istae videntur computandae.

[3.] Ratio vero decidendi in contrarium, quia mulier ita locupletior fit, ut tanto sieri pauperior videatur, cuius scilicet haeredem restituere marito superstiti res donatas oporteat. Si quid tamem mulier de rebus donatis diminuit, id marito perit. l. si id, quod donatum 28. de donatio. causa mort. Quod vero haeres diminuit, sarcire marito cogitur.

§. 6. Ait PAPINIANVS: *Fructus praediorum sub conditione verbis fideicommissi relictos, in causam fideicommissi non deductos, haeres in ratione Falcidiae sic accepto facere sibi cogitur, ut quartam & quartae fructus, ex die mortis, bonorum, quae mortis tempore fuerunt, habeat. Nec ad rem pertinet, quando Falcidia lex admissa sit. Nam & si maxime post impletam conditionem fideicommissorum locum habere cooperit, tamen ex die mortis fructus quadrantis apud haeredem relinquvi necesse est.*

S V M M A R I V M.

1. Legatum & fideicommissum conditionale pro puro non habetur.
2. Fructus Legati vel fideicommissi medio tempore percepti in quartam imputantur.
3. Quales fructus intelligendi?

[1.] **G**OVEANVS. Testator praedia sub conditione verbis fideicommissi reliquit: fructus, qui medio tempore perciperentur, in fideicommissum non deduxit.

Quemadmodum legatum sub conditione, vel ex die relictum in ratione Falcidiae pro puro non habetur. *l. in ratione 30. infra eo.* Et fructus medio tempore percepti in Falcidiam imputantur, ita neque fideicommissum conditionale pro puro habetur, & commodum medii temporis in quartam imputatur, ita ut, si fructus medii temporis ad quartam & quartae fructus sufficiant, de legatis nulla fiat diminutio. Fructus autem quartae ex die mortis testatoris, habere haeres debet, non autem ex tempore, quo ratio Falcidiae poni coepit, quamvis Falcidia quartam faciat. Impleta namque conditione legati vel fideicommissi, si existat ratio Falcidiae, a principio quarta effecta intelligitur. Ideoque ex die mortis testatoris quartae fructus apud haeredem relinquvi, necesse est.

[2.] Fructus igitur legati, vel fideicommissi medio tempore percepti (si modo ex voluntate testatoris percipientur, non ex fideicommissarii negligentia) in quartam imputantur, *l. mulier 22. §. si haeres 2. ad Trebel.*

[3.] Fructus autem hos *satos ACCVRSIUS* intelligit. Ego omne commodum medii temporis, deductis sumptibus, & impensis factis in fructus redigendos. *l. quod in fructus 46. de usur.* In haereditatis quoque restitutione fructus medii temporis in quartam imputantur, haeredibus primi gradus exceptis. *l. iubemus 6. C. ad Treb.*

[4.] In quartam item, quae testamenti inofficiosi querelam excludit, fructus medii temporis imputantur, *l. Papinianus 11. §. unde si quis 8. de inoffic. testam.* Neque mirum, cum odiosa sit querela testamenti inofficiosi, uti scripsimus ad *l. 1. C. de inoffic. lib. 1. lect. vari.* Neque

4. Imputantur etiam in quartam, quae querelam test. inoff. excludit.
5. Quae vera huius §. lectio?
6. Verbis fideicommissi relinquvi quid?

Neque obstat *l. scimus 36. C. de inoffic.* in qua Imperator iubet, quartam filio ex patris substantia repleri. Cum enim ex fructibus repletur, ex substantia patris repletur. Fructus enim rerum, ipsarum quodammodo partes sunt: ipsique accepto ferri scribit, *VLPIANVS in l. in fideicommissariam 18. ad Treb.*

[5.] Et haec sententia, est §. huius, in quo dubitandum non est, quin scriptum fuerit, **F R V C T V S P R A E D I O R V M S V B C O N D I T I O N E V E R B I S F I D E I C O M M I S S I R E L I C T O R V M.** Fructus enim relictos non esse verbis fideicommissi manifesto convincitur ex eo, quod subiicit Iureconsultus, **I N C A V S A M F I D E I C O M M I S S I N O N D E D V C T O S.**

[6.] Quid enim aliud est, *verbis fideicommissi relinquvi*, quam *in causam fideicommissi deduci?* Nam quod **A C C V R S I V S** ait, per consequentiam fructus relictos verbis fideicommissi, valde est absurdum. Nam praeter id, quod repugnat *per consequentiam aliquid relictum esse*, & *verbis fideicommissi relictum esse*, falsum etiam est, praediis per fideicommissum relictis sub conditione, fructus quoque per consequentiam relictos per fideicommissum intelligi. Venient enim in fideicommissi restitutionem: Tum vero, si fructus sub conditione verbis fideicommissi relinquuntur, in fideicommissum non veniunt, nisi qui percipiuntur impleta conditione: pendente autem conditione percepti, non veniunt: cum ipsis fideicommissi dies, impleta demum conditione cedat. At Iureconsultus de fructibus medio tempore perceptis loquitur, eosque ait, *haeredem cogi sibi accepto facere, & in quartam habere.* Acquum enim est, de legatis nihil detrahere haeredem, si aliunde ei quadrans bonorum salvus sit, ne contra voluntatem faciat testatoris. Huius autem ineundo scripturae brevitas causam dedit: nam genitivorum istorum extrema syllaba sic breviter scribitur, & quae propemodum literae, **S**, figura est.

q. 7. Ait PAPINIANVS: *Fideicommissum, portionis supplendae gratia, pro qua matrem filius haeredem instituit, eidem matri datum ratione Falcidiae minuetur: & eam pecuniam mater supra quartam suae portionis percipiet.*

S V M M A R I V M.

Aliud est iure institutionis relinquere, aliud iure fideicommissi ad supplendam portionem institutionis?

GOVEANVS. Filius matrem ex semisse haeredem instituit, Titum ex semisse, ac inter eos sua bona divisione sit. Et cum non satis aequam se divisionem fecisse arbitraretur, voluit matri Titum supplere, quod deesset ad semissim. Quamvis haeredum quoque legata minuere *Falcidiam* soleat, id tamen, quod ad supplendam portionem institutionis relictum erat, extra *Falcidiā* esse videbatur, quae non de portionibus cohaerendum, sed de legatis & fideicommissis detrahitur. Verum in contrarium PAPINIANVS respondit: aliud enim esse *iure institutionis relinquere, aliud iure fideicommissi ad supplendam por-*

tionem institutionis. Cui consequens est, fideicommissum hoc in *Falcidiā* matri non imputari, si forte cum legatariis poni rationem contingat. Nam legata & fideicommissa extra quartam esse constat. *l. in quartam 91. hoc tit.* nisi in casu *l. quod autem 76. hoc tit.* In fideicommissaria vero haereditatis restitutione, & legata, & fideicommissa pro iis partibus inputantur, quas haeres a se capere intelligitur. De quo plene dicemus ad *l. in quartam 91.* Quod autem posuimus, haeredum legata ad legem *Falcidiā* revocari, non perpetuo verum est. *l. Neffennius 22. infra eod.*

q. 8. Ait PAPINIANVS: *Quarta, quae per legem Falcidiā retinetur, aestimatione, quam testator fecerit, non magis minui potest, quam auferri.*

S V M M A R I V M.

Quarta iure publ. ab haerede retinetur, auferri tamen & minui hodie potest.

GOVEANVS. Iure enim publico ab haerede retinetur. Hodie & auferri & minui potest. *Novel. de haer. & Falc.* Illud certe con-

sequi testator potest, ut de certis legatis *Falcidia* deducatur. *l. si ita 64. & l. si is, qui quadrinventa 80. infra eod.*

XVI. SCAEVOLA Libro tertio Quaestionum.

Si ex pluribus rebus legatis haeres quaedam solverit, ex reliquis Falcidiā plenam per doli exceptionem retinere potest, etiam pro iis, quae iam data sunt. Sed & si una res sit legata, cuius pars soluta sit, ex reliquo potest plena Falcidia retineri.

S V M M A R I V M.

1. *Non obstat huic legi Nov. de Hered. & Falc. §. 3.*

[1.] **G**OVEANVS. Si ex pluribus rebus uni legatis quaedam sine diminutione praestitae sint, alias rum retineri *Falcidia* potest. Neque obstat *Novell. de haered. & Falc. §. non autem 3.* ubi praetermissa adversus quosdam legatarios *Falcidia*, adversus alios non inducitur. Quin & plena retineri *Falcidia* potest in rebus

2. *Interesse Legatarii potest plenam Falcidiā in una re non pati.*

iis, quae praestitae non sunt, hoc est, etiam pro iis rebus, quae solutae sunt sine diminutione, non quidem ipso iure, sed *doli mali* opposita exceptione, si legatarius pro rebus praestitis nomine *Falcidiae* haeredi satisfacere recuset.

[2.] Nam ipso iure legata omnia *Falcidia* diminuit, & interesse legatarii potest, plenam *Falcidiā* in una aliqua re non pati. Quid enim si

si *Falcidia* fundum totum exempli causa absu-
mat , neque legatario fundo carere expediat ?
Quae ratio cum in annuis legatis cesseret , praesti-
tis sine diminutione primi & secundi anni pen-
sionibus , in pensione anni tertii plena *Falcidia*
retinebitur , & quidem sine ope exceptionis.

Quae sententia est §. non idcirco 2. l. quod de
bonis 15. supra eod. Idem dicendum , li rei le-
gatae portio praeslita sit sine diminutione . Nam
in altera plenam *Falcidiām* , opposita *doli mali*
exceptione , servabit haeres , nisi pro parte
praeslita , a legatario *Falcidiae* nomine satisfiat.

XVII. SCAEVOLA Libro sexto Quaestionum.

*Si post missionem faciat codicillos miles , & intra annum decedat : ex testamento , quod in militia iure militari fecit plena legata : ex codicillis , habita *Falcidiae* ratione praestari debere dicitur. Sed res ita expedietur , si cum quadringenta haberet , testamento quadringentā , codicillis centum legaverit : ex quinta parte , id est , octoginta , quae ad legatarium ex codicillis pervenirent , si *Falcidiām* non pateretur , quartam , id est , viginti haeres retinebit.*

S V M M A R I V M.

1. In testamento mil. *Falcidiae* locus non est , sed in Codicillis post missionem factis.

2. *Triplex est missionis genus.*

[1.] **E**ST **E**VOEANVS. In militis te-
stamento legi *Falcidiae* locus
non est. l. 1. §. in quibusdam
12. Tit. seq. l. 1. §. denique 18.
ad Treb. l. in militis 12. C. de mil. testam. in
codicillis autem post missionem etiam testa-
mento militari confirmatis , legi *Falcidiae* locus
est. l. si certarum 17. §. ult. de mil. test. Neque
enim proroganda sunt privilegia , quibus ius
commune impugnatur. Si igitur utraque legata
dodrantem haereditatis excedant , ita res ex-
pedietur , ut si miles , qui in bonis ducenta habe-
bat , centum in testamento , & centum in codi-
cillis legaverit , centum testamento relicta solida
praestentur , centum autem relicta codicillis , fa-
ctis post missionem , cum diminutione legis *Fal-
cidiae* : quod si in testamento ducenta legaverit ,
& in codicillis centum , principio detrahemus
id , quod ultra patrimonii vires legavit , & ex
ducentis , quae supersunt , tertiam partem co-
dicillis legatam intelligemus , unde quadrans
iure *Falcidiae* retinebitur. Idem dicemus , si

cum in bonis quadringenta haberet miles , testa-
mento quadringenta legasset , & codicillis cen-
tum : nam deductis centum , quae ultra patri-
monium legavit , quadringentorum partem quin-
tam codicillis legasse intelligetur : ea autem erit
octoginta : unde viginti retentis pro *Falcidiae* ,
sexaginta legatariis erogabuntur. l. si vero 18.
de mil. test.

[2.] Missionum porro tria sunt genera. Quae-
dam enim *causaria* est , ut cum miles morbi
causa mittitur. Quaedam est *ignominiosa* , cum
propter delictum miles mittitur. Quaedam est
honesta , ut cum milites emeritis stipendiis mit-
tuntur , aut bello confecto. Eorum , qui igno-
miniose missi sunt , testamenta iure militari non
valent , l. testamenta 26. de mil. test. & ad legem
Falcidiām pertinent. Eorum vero , qui vel ho-
neste , vel ex causa missi sunt , testamenta intra
annum missionis militari iure valent. d. l. testa-
menta. Sane veteranorum testamenta iure com-
muni censentur , & ad legem *Falcidiām* revo-
cantur. l. ad veterani 40. infra eod.

XVIII. PAVLVS Libro undecimo Quaestionum.

FILIVSFAMILIAS , qui militaverat , decedens patris sui fideicommissit codicillis ,
ut peculium suum castrense Titio post mortem restitueret. Quaerebatur , an ut
haeres quartam deducere possit ? Dixi , legem *Falcidiām* inductam esse a DIVO PIO
etiam in intestatorum successionibus propter fideicomissa : sed in proposito nec haer-
editatem esse : quamvis placeret mibi , extraneo haerede instituto fieri haeredita-
tem eius aditione. Nam cum apud patrem remanet , ius pristinum durat , & pe-

culium est. Nec huic contrarium est, quod in testamento eius, qui apud hostes decessit, exercetur Falcidia. Nam fictio legis Corneliae & haereditatem & haeredem facit. Sed nemo dubitat, quin debeat hic quoque indulgeri legis beneficium: si quidem quasi patrisfamilias bona restituere cogitur, & haeres scriptus omissa ex testamento aditione, exemplo edicti, legatorum nomine convenietur. His consequens erit, ut si fructibus medio tempore quartam & quartae fructus habuerit pater, etiam Trebellianum Senatusconsultum inducamus, & utiles actiones exerceri possint, sicutque haereditas post restitutionem.

S V M M A R I V M.

Verba & sententia b. l. illustrantur breviter.



OVEANVS. Ait Iureconsult. *Qui militaverat.*) Facti enim a milite codicilli ad legem *Falcidiā* non pertinent.

Ait Iureconsult. *Vt peculium suum castrense.*) Peculium *castrense* definitum in *l. castrensi* 18. *de pecul. castr.* in *l. i. eo. tit. lib. xii. C.* Quod autem de *peculio castrensi* quaeritur, quaeri etiam potest de *peculio quasi castrensi*, quod ab Imperatore disi- nitur in *l. ult. de inoffic. test.*

Ait Iureconsult. *Quaerebatur, an haeres quar- tam deducere possit.*) Ratio dubitationis, quia peculium *castrense* filii intestati apud patrem remanserat iure peculii, & quidem pagani, non quasi haereditas: lex autem *Falcidia* ad haereditates pertinet. Quamvis enim in peculio *castrensi* neque proprietas, neque ususfructus patri quaeratur iure potestatis. *l. cum oportet* 6. §. exceptis 2. *de bonis, quae liber.* *l. errat* 3. *de pecul. castr.* *lib. xii. C.* Tamen iure potestatis re- tinetur, quasi peculium quodlibet paganum, si filius iure suo non utatur. *l. paterfamilias* 17. *de castr. pecul.* Ideoque pater, apud quem reman- sit *castrense* intestati filii peculium, intra annum duntaxat de peculio convenitur, ac si paganum peculium retinuisset.

Ait Iureconsult. *Dixi legem Falcidiā inducātam esse, &c.*) Nam legis *Falcidiā* verba ad testa- mentarias duntaxat successiones pertinent.

Ait Iureconsult. *Propter fideicommissa.*) Propter fideicommissa tam universalia, quam par- ticularia, quae ab intestato relinqui possunt. Ex quo intelligimus *Senatusconsultum Pegasi-* num ad fideicommissa testamentaria duntaxat per- tinuisse.

Ait Iureconsult. *Sed in proposito neque haereditatem esse.*) Haec ratio dubitationis est. Quam- obrem autem in proposito casu haereditas non sit, iam diximus.

Ait Iureconsult. *Quamvis placaret mihi, ex- traneo, &c.*) Ad hoc, ut peculium *castrense* iure haereditatis censeatur, non est satis de peculio filium esse testatum, necesse praeterea est, audeatur ex testamento haereditas, qua non adi-

ta, remanet, uti diximus, peculium apud pa- trem iure peculii pagani.

Ait Iureconsult. *Nam cum apud patrem re- manet.*) Retro enim censemur peculium pag- num fuisse. *l. proponebatur* 9. & *l. servum* 40. *de leg.* 1. Neque novo ullo iure patri opus est ad peculium retinendum.

Ait Iureconsult. *Neque huic contrarium est.*) Respondet Iureconsultus tacitae obiectioni. Quamvis enim captivus ipso iure haeredem non habeat, ut potе capite minutus, tamen per le- gem *Corneliam* eius, qui apud hostes decessit, haeredem & haereditatem fieri. De quo plene diximus ad *l. i. huius tit.* & ad *l. lex Cornelia* 28. *de vulg. & pupil.*

Ait Iurecons. *Sed nemo dubitat.*) Melius Pan- dectae Florent. **SED ME NON DVBITARE.** Quae verba referuntur ad verbum **DIXI**, quod in principio posuit. Frustra enim decideretur, de quo nemo dubitaret.

Ait Iureconsult. *Quin debeat hic quoque indul- geri legis beneficium.*) *legis Falcidiā* a D. PIO inductae in successionibus intestatorum. Quamvis enim pater peculium filii *castrense* retineat quasi peculium, & non quasi haereditatem, re- stituere tamen cogitur quasi haereditatem: nam quasi peculium non restitueret. Cum igitur quasi haeres legitimus filii restituat, merito quasi ha- redi legitimo *legis Falcidiā* beneficium indul- gebimus.

Ait Iureconsult. *Et haeres scriptus omissa ex testamento, &c.*) Si filius in peculio *castrensi* patrem haeredem instituat: sive audeat pater ex ipsa institutione, sive testamenti causam omit- tat, & ab intestato peculium filii possideat, a legatariis nihilominus convenitur ex illa parte edicti, si QVIS OMISSA CAVSA TESTA- MENTI. In quo quasi haeres legitimus filii censemur. *l. si certarum* 17. §. ult. *de mil. test.* *l. paterfamilias* 17. §. ult. *de cast. pecul.*

Ait Iureconsult. *His consequens erit.*) Si ex fructibus mediī temporis quartam & quartae fructus pater percepit, quia *Falcidia* locum non habet, restituitur ex *Trebelliano* haereditas, & actiones transferuntur. Si *Falcidiā* locus esset

Pegasianum induceretur. De quo plura dicemus ad l. acceptis. 93. infra eod. Si igitur pater, quartam & quartae fructus percepit ex fructibus medii temporis, haereditatem ex Trebelliano restituet, & transferet actiones utiles in fidei-

commissarium, quasi haereditate restituta ex Trebelliano. Nam filii peculium quasi haereditas restituitur: & hoc est, quod ait Iureconsultus, *haereditatem fieri post restitutionem.*

XIX. SCAEVOLA Libro octavo Quaestionum.

Si dignum decem fundum damnetur haeres quinque vendere, sine dubio quinque erunt imputanda Falcidiae.

S V M M A R I V M.

1. *Legatum utile est, si heres aequo pretio fundum vendere damnetur: nec Falcidia deducitur.*
2. *Si vero fundum dignum x. damnetur v. vendere, quinque in Falcidiam imputantur.*
3. *Idem obtinet, si rem dignam v. heres x. emere damnatus sit.*
4. *Legata x. sub conditione, si Legatarius x. dederit, inutile est legatum.*

[1.] **SCAEVOLA** NVS. Si haeres fundum aequo pretio vendere damnetur, legatum utile est. l. Et si aequo pretio. 66. de leg. 1. Interesse namque potest legatarii, fundum emptum habere, puta confinem, vel a maioribus reliatum, cuius ei haeres commercium non facret, nisi a testatore iussus. De hoc tamen legato puto Falcidiam non deduci, cum de suo nihil testator eroget. De quo plene diximus ad l. 1. §. si creditor. Quare per huiusmodi legatum caetera non diminuentur.

[2.] Quod si fundum dignum decem, vendere quinque haeres iussus sit, quinque legata intelliguntur. l. in ratione. 30. §. vendere. 1. l. qui fundum. 87. infra eod. Vnde ut de caeteris legatis Falcidia detrahatur. d. §. vendere. Quinque autem, quae pretii loco haeres accipit, in Falcidiam imputantur: neque enim conditionis implendae causa dantur. l. in ratione. 30. §. tametsi autem. 7. infra eod. Ideo autem pretium

in Falcidiam imputatur, quia loco rei cedit.

[3.] Idem dicendum, si rem dignam quinque iussus sit haeres decem emere. Nam quinque duntaxat legata intelliguntur. d. §. vendere. Aliud iuris est, si acceptis quinque fundum haeres dare iubeatur: hic enim totus fundus legatus, & de toto Falcidia detrahitur, & quinque extra quartam accipiuntur mortis causa. l. ad veterani. 40. infra eod. Sane si quaeramus, quatenus fideicomisso onerari legatarius possit, cui fundus sub conditione, si quinque det, legatus est, non totum ex legati causa fundum accepisse intelligitur, sed deducitur, quod ex causa haeredi dat. l. non amplius. 26. & l. civitatibus. 122. §. ult. de leg. 1.

[4.] Quid ergo, si decem legata sint hac conditione, si decem legatarius dederit? Et hoc legatum inutile est, & ridiculum. l. si fundus. 23. infra eod. cum inter pares quantitates nihil intersit.

XX. IDEM Libro nono Quaestionum.

Si a servo meo haerede instituto mihi legetur, & mihi acquiratur haereditas: negat MAETIANVS, id legatum in Falcidiam computari, quia non debeatur.

S V M M A R I V M.

A domino herede instituto, servo inutiliter legatur; sed a servo instituto utiliter legatur domino.

SCAEVOLA NVS. Si a domino haerede instituto servo legetur, inutile legatum est, propter regulam Catanianam: neque convalescit, servo quandoque manumisso. §. an servo. 32. de leg. lib. II. Instit. Itaque domino in Falcidiam imputabitur.

l. quod si alterutro. 78. infra eod. Neque reliqua legata per hujusmodi legatum minuentur. Quod si a servo haerede instituto domino legetur, legatum valet. d. §. an servo. & l. servo legato. 17. quan. di. leg. ced. Itaque merito de huiusmodi legato dubitatur, num caetera legata per hoc

diminuat? Et Iureconsultus respondet, non diminui, si iussu domini servus haereditatem adeat. Et haec est sententia illorum verborum, NEGAT MAETIANVS IN FALCIDIA COMPV TARI, &c. Sic enim legendum est, non, IN

FALCIDIAM. Et ita habent Pandectae Florentinorum. Nam in *Falcidiam imputari* hoc legatum domino scribit Iureconsultus in l. a filio 25. de leg. 1.

XXI. PAVLVS Libro duodecimo Quaestionum.

Si pupillus, cui sine tutore autore decem mutuo data sunt, legatum a creditore meruit sub hac conditione, Si decem, quae accepit, haeredi reddiderit, una numeratione: & implet conditionem, & liberatur naturali obligatione, ut etiam in Falcidia haeredi imputentur: Quamvis non imputarentur, si tantum conditionis implendae causa data fuissent. Adeo autem solvere videtur, ut repudiato legato, vel Sticho, qui legatus est, mortuo, nihil repetere possit.

S V M M A R I V M.

Pupillus, cui sub conditione legatum est, si conditionem inplet, naturalis obligationis vinculo liberatur.

GOVEANVS. De naturali pupilli obligatione abunde scripsimus ad l. 1. §. id, quod natura 13. Si igitur pupillo, quem naturaliter obligatum habes, sub ea conditione leges, si decem, quae mutuo ei dederas, haeredi numeraverit una numeratione. Et conditionem implet pupillus, & naturalis obligationis vinculo liberatur. l. in numerationibus 44. de solu. Quare cum solvere

intelligatur, haeredi in *Falcidiam* imputabitur, quod a pupillo acceperit: quod non imputatur, si conditionis duntaxat implendae causa numeraretur. Quae enim ita dantur, constat in quartam non imputari, l. in quartam 91. infra eod. Adeo autem pupillus solvere videtur, ut si servus legatus decebat, non repeatat, quod dedit, repetitur, si conditionis tantum implendae causa dedisset.

q.
[1.] **G**OVEANVS: *Si ego & servus meus haeredes instituti sumus ex diversis partibus, nec a servo erogatus dodrans: iis, quibus a me legatum est, contra Falcidiam proderit, quod ex portione servi ad me pervenit supra Falcidiam eius portionis. Ex contrario, si servo meo servus, & decem mihi legata fuerint: servi Falcidia ex decem mihi legatis non retinetur, exemplo eodem Falcidiae. Nam quartam retineo ex persona servi: quamvis de mea portione nihil exhaustum sit.*

S V M M A R I V M.

1. Perobscura est huius §. sententia.
2. Servi legati Falcidia non retinetur.

3. Verba ex diversis partibus quomodo hic accipienda?

[1.] **G**OVEANVS. Paragraphus hic perobscuram habet sententiam. Si servus ex semisse, & dominus ex semisse haeredes instituantur, legatariis domini proficit, quicquid supra quadrantem portionis servi ad dominum ex servi institutione pervenit, ac si dominus ex utroque semisse esset institutus. Nam & servi portio recta domino acquiritur: cum haereditas in persona servi ne puncto quidem temporis consistit. Idem dicendum de portione cohaere-

dis, quem ante, quam adiret, arrogavi. l. 1. §. si cohaeredem. supra eod. Quod si portio servi exhausta sit, domini autem integra, & in ea insit quadrans omnium bonorum testatoris, tamen ex persona servi detrahit dominus *Falcidiam*. In quo servi persona ita per se spectatur, ac si domino non acquireret. Quo exemplo fit, ut si servo legatur servus, & dominus decem, non patiatur dominus in suis decem *Falcidiis* utriusque legati: Quamvis utriusque commodum consequatur.

[2.]

[2.] Dicat aliquis, Vnde igitur servi legati *Falcidia* retinerur? Et magis est, ut non retineatur, cum servus divisionem non recipiat, nec is, cui legatus est, habeat unde haeredi quartam aestimationis partem offerat. Quid ergo si servo legato per fideicommissum libertas sit reliqua? Et eo casu redimere dominus partem servi ab haerede debet, ac si ipsi quoque legatus esset. *I. cum quo 4. §. Stichum 56. infra eo.* Cuius enim fidei servi libertas committitur, ei servus legatus videtur. Sane si tibi & servus,

& decem legata sint, sive servo reliqua per fideicommissum libertas sit, sive non, utriusque legati in decem *Falcidiem* patieris.

[3.] Quod ait Iureconsult. EX DIVERSIS PARTIBVS, sic est accipiendum, ut separatim dominus & servus instituantur. Si enim ita instituas, SEMPRONIVS ET EIVS SERVVS EX ASSE HAEREDES SVNTO, dubium non est, quin una institutio intelligatur, neque necessaria sit, servum adire iussu domini.

XXII. IDEM Libro decimoquarto Quaestionum.

NESENNIUS APOLLINARIS, IVLIO PAVLO. Ex facto dominae species eiusmodi incidit: Titia filias suas tres numero aequis ex partibus scripsit haeredes, & a singulis legata invicem dedit: ab una tamen ita legavit tam cohaeredibus eius, quam extraneis, ut *Falcidiae* locus sit. Quaero, an adversus cohaeredes suas, a quibus legata & ipsa accepit, uti possit *Falcidia*? Et si non possit, vel doli exceptione submovenda sit, quemadmodum adversus extraneos computatio *Falcidiae* iniri possit? Respondi, id quidem, quod a cohaerede legatorum nomine percipitur, non solet legatariis proficere, quo minus *Falcidiem* patientur. Sed cum is, qui legatum praestaturus est, ab eodem aliquid ex testamento petit: non est audiendus, desiderans uti adversus eum *Falcidiae* beneficio: si id, quod percepturus est ex voluntate testatoris, suppleat, quod deducere desiderat. Plane caeteris legatariis non universum, quod cohaeredi praestat, imputabit, sed quantum daturus esset, si nihil ab eo perciperet.

S·V M M A R I V M.

1. Praelegata ad leg. *Falc.* revocantur.
2. Quod inplendae conditionis causa datur, non datur ex voluntate testatoris.

3. Quod a coherede accipitur, prodeesse non solet legatariis.

[1.]  OVEANVS. Praelegata ad legem *Falcidiam* revocantur. *I. quod bonis 15. §. ulti. supra eod.* Sed si invicem legata a cohaeredibus relinquantur, opposita doli mali exceptio faciet, ne *Falcidia* inducatur, si tantum legati nomine a cohaerede accipitur, quantum *Falcidia* desiderat. Nam conditionis implendae causa si quid a cohaerede accipiat, *Falcidiam* non impediet. Itaque intelligenda verba illa sunt, EX VOLUNTATE TESTATORIS.

[2.] Quod enim implendae conditionis causa datur, constat, non dari ex voluntate testatoris. De quo diximus ad *I. 1. §. item 8.* Si igitur portio unius haeredum sit centum, & ab eo quinquaginta cohaeredibus legata sint, extraneis item quinquaginta, dubium non est, quin per legem *Falcidiam* a cohaeredibus XII. & semissem auferat, & tantundem ab extraneis. Verum si a cohaeredibus ex voluntate testatoris, hoc est,

ex legati causa, uti iam diximus, XII. & semissem capiat, opposita doli mali exceptione *Falcidiam* cohaeredes recusabunt. Neque ideo tamen plus extranei nomine *Falcidiae* conferent haeredi, quamvis quinquaginta haeres dederit cohaeredibus. Neque enim extraneis imputantur quinquaginta, sed quantum haeres daturus fuisset, si nihil a cohaeredibus accepisset. Dedisset enim XXXVII. & semissem: qui nunc ideo plenum legatum praestat, quia invicem XII. & semissem accipit a cohaeredibus. Ponamus, plus XII. a cohaeredibus accepisse, ea res non faciet, ut extranei minus conferant in *Falcidiam*. Quod enim legati nomine capit, in *Falcidiam* non imputatur.

[3.] Quod ait Iureconsultus *Id quidem, quod a coherede accipitur, non solere legatariis proficere*, hoc est, in quartam non solere imputari, vere dicitur, sive quantitas, sive corpus haereditarium legetur. Si enim Titio uni ex haeredibus a coherede leges quinquaginta, tota

quinquaginta Titius extra quartam accipit, quae tota fieri intelliguntur ex portione cohaeredis. *l. deducta 58. §. numis 3. ad Treb.* Quin & si Titio uni ex haeredibus fundum leges, totus fundus extra quartam erit. *l. in quartam 91. in-*

fra eod. Neque enim iure haereditario pars ulla fundi capi intelligitur, cum de *Falcidia* quaeritur: Quamobrem dicemus ad *l. in quartam 91.* Alio iure S. C. quarta est. De quo item dicemus ad *d. l. in quartam.*

§. 1. Ait PAVLVS: *Servo haerede instituto, si a domino fideicomissa a servo legata data sunt: prius ratio legatorum habenda est: deinde ex eo, quod supereft, fideicommissorum.* Dominus enim ideo tenetur, quod ad eum pervenit. Pervenit autem, quod deductis legatis supereft. Plane *Falcidiam* exercet. §. 2. Sed & si dominus, omessa haereditatis aditione, servum sibi substitutum adire iussit: prius erogantur, quae ab ipso domino data sunt: tunc eorum, quae a servo relictā sunt, ratio initur, si patitur *Falcidia*.

S V M M A R I V M.

1. *Fideicomissa a quibus relinquī possint?*
2. *Si dominus servum, qui ipsi substitutus est, adire iubeat, legata a domino relictā prius sunt*

- praestanda.*
3. *Neque obstat l. 26. si quis omis. caus. test.*

[1.]



OVEANVS. Servo haerede instituto, domini fidei committi potest, legari a domino non potest: legata namque nisi ab haerede instituto non relinquuntur. Domino autem per servum commodum dunitaxat haereditatis acquiritur. *l. cum filio II. de leg. 1.* Fideicomissa ab omni haerede, bonorumque possessore relinquī possunt, & ab iis omnino, ad quos res nostra perventura est: quales sunt dominus & pater, qui per servos & filios institutos acquirunt. Ponamus igitur a servo instituto x. legata, a domino item x. per fideicommissum relictā: prius legata servi, quam domini fideicomissa praestabuntur, neque per haec illa diminuentur. Nam fideicommissis hactenus dominus tenetur, quatenus ad eum pervenit. Pervenisse autem intelligitur, quod supereft deductis legatis. Si igitur servi legata dodrantem excedant, ex persona servi ponet dominus *Falcidiam*. *d. l. cum filio.* neque fideicommissis a se relictis tenebitur. Si autem intra dodrantem a servo legata sint relictā, de reliquo fideicomissa dominus praestabit intra *Falcidiam* bonorum.

[2.] Ait Iureconsult. *Sed & si dominus omissa*

haereditatis aditione.) si domino servus substitutus, iussu domini haereditatem adeat, prius solvuntur legata a domino relictā, & deinde a servo, quatenus ratio *Falcidiae* patitur. Neque obstat *l. Julianus 26. si quis omis. causa test.* ubi filia patri in casu substituta iussu patris adit haereditatem: servus autem domino in casu non substituitur, sed domino eligendi potestas datur, ex utra institutione haeres esse malit: quemadmodum cum filio pater substituitur. *d. l. Julianus.* Itaque sive ipse dominus adeat, sive adire servum iubeat, legata a domino relictā ipso iure debebuntur, & prius solventur, quam quae a servo sunt relictā.

[3.] In *l. autem Julianus*, legata a patre relictā ex illa parte edicti praestantur *SI QVIS OMISSA*. Quamvis enim pater ab intestato non possideat, sed ex filiae substitutione, simile tamen aliquid facit omittenti ex testamento & possidenti ab intestato, qui spreta propria institutione, ex aliena substitutione contra testatoris voluntatem possidet. Quod cum dolo faciat compendii & lucri causa, sententia edicti tenetur: nam verbis non tenetur. Cum igitur in *d. l. Julianus.* patris legata ipso iure non debeantur, filiae debeantur, horum prius ratio habebitur, si *Falcidiae* interveniat.

§. 3. Ait PAVLVS: *Si debitori liberatio legata sit, quamvis solvendo non sit, totum legatum computatur: licet nomen hoc non augeat haereditatem, nisi ex evenitu.* Igitur, si *Falcidia* locum habeat, hoc plus videbitur legatum, quod huic legatum est. Caetera quoque legata minuentur per hoc, & ipsum hoc per alia; capere enim videtur eo, quod liberatur. §. 4. *Sed si alii hoc nomen legetur, nullum legatum erit, nec caeteris contribuetur.*

S V M.

S V M M A R I V M.

Debitori, qui solvendo non est, legata liberatione, utile est legatum.

GOVEANVS. Debitori, qui solvendo non est, legata liberatione, legatum utile est: quod enim ad ipsum attinet, locuples intelligitur. *l. quaerebatur 82. infra eod.* Et per consequens in ratione legis *Falcidiae* computatur, hoc est, minuit caetera legata, & ipsum per alia quoque minuitur. Quod si alii nomen non idoneum legetur, tantum eo nomine inducit haeres, quantum exigi poterit. *l. pretia 63. §. i. infra*

eo. Si exigi nihil poterit, inutile legatum est, unde nullam utilitatem consequatur legatarius. Vixque adeo est, ut *legatum* dici possit, cum legatum sit. Verum ex eventu & hoc quoque nomen haereditatem auger. *l. cum quo de peculio 56. infra eod.* Ita & quod natura debetur haereditati, eam ex eventu auger. *l. i. §. id, quod natura 13. supra eod.* Potest & nomen hoc vendi, & quod ex venditione redigitur, in legato esse intelligitur, *d. l. quaerebatur 82.*

XXIII. SCAEVOLA Libro quinto decimo Quaestionum.

Si fundus mihi legetur, & via: in Falcidiae ratione, si tantum sit in via, quanto amplius est in Falcidia, integer fundus capietur, & via peribit. Sed si via legetur, nec solvendo sit haereditas: non debebitur. Videndum etiam, si fundo & via legato, minus ex utroque desideretur, quam sit viae pretium. Et potest coacta ratione dici, non tantum fundum solidum capi, sed etiam, ut doli exceptio tantum sarciat, quantum deest: ne plus habeat, quam Falcidia desiderat: ut tunc solum via intercidat, quoties plus Falcidia desiderat, quam est viae pretium.

S V M M A R I V M.

1. *Quando legatum viae hoc casu intercidat?*

[1.] **G**OVEANVS. Si fundus legetur, & via ad fundum, interveniente *Falcidia*, viae legatum intercidere videtur, cum fundo pro parte acquiri via non possit. *l. pro parte 11. de servit.* Verum ut viae legatum conservetur, si tantum in viae pretio est, quantum *Falcidia* fundi & viae desiderat, utraque *Falcidia* in via servatur, & solidum fundum capit legatarius. Cum autem plus in pretio viae est, quam in *Falcidia* fundi & viae, & fundum solidum capit legatarius, & quod amplius in via est, haeres sarcit per doli exceptionem. Nam via non recipit divisionem. Quod si viae pretium non sufficiat compensacioni, hoc est, si minus in via sit, quam in *Falcidia* fundi & viae, tum necessario via perit: cum partem fundi apud haeredem relinqui sit necesse, & via, uti in principio diximus, pro parte fundo acquiri non possit. Quae sententia est, *l. Plautius 49. §. ult. infra eod.*

[2.] Cum autem haereditas solvendo non est, neque fundus praestari potest, ipso iure

2. *Quomodo hic locus legendus?*

non debetur via, quae praedii servitus est. *l. i. commu. praed.* Principium igitur legis huius sic legendum existimo, *SI FVNDS MIHI LEGTVR, ET VIA, IN FALCIDIAE RATIONE, SI TANTVM SIT IN VIA, QVANTVM EST IN FALCIDIA FVNDS ET VIAE, INTEGR FVNDS CAPIETVR, NEC VIA PERIBIT, &c.* Si enim tum demum via perit, cum minus est in via, quam in *Falcidia* fundi & viae, si tantum in via sit, quantum in *Falcidia* fundi & viae, via non peribit: hoc enim casu nulla pars fundi remanet apud haeredem. Nisi autem fundi pars apud haeredem remaneat, via non perit. Neque verisimile est, omissum hunc casum esse a *SCAEVOLA*, cum tantum est in via, quantum in *Falcidia* fundi & viae. Itaqua *ACCVRSIVS* verba illa *QVANTO AMPLIVS*, cogitur interpretari, *nec plus, nec minus*: quod aliud nihil est quam, *tantundem*. Et vero in veteribus Codicibus & Pandectis Florentinis legitur *QVANTVM*, non *QVANTO*. Vnde conisci potest, dictionem *AMPLIVS* interpretis esse, & in contextum irrepsisse.

XXIV. PAVLVS Libro XIV. Responsorum.

PAVLVS respondit, *Falcidiae legis rationem (si haberi oporteat) ita habendam, ac si eae res, quae ab haerede subtractae sunt, in haereditate relictæ non fuissent. Idem respondit, partus ancillarum ante diem fideicommissi editos, ad haeredes eius, qui rogatus est, pertinere: eosque in quartam & quartæ fructus computandos, si de lege Falcidia quaestio intercedat. Idem respondit, fructus ex propria re haeredis, quae legata est, post diem fideicommissi cedentem perceptos, & si non sint restituendi fideicommissario, haeredi in quartam imputari non solere.*

S V M M A R I V M.

1. Res ab herede subtractae non in *Falcidiam* imputantur.
2. Heres rogatus restituere hereditatem post mortem suam, in fideicommissum non veniunt partus & fructus ante fideicommissum diem percepti.
3. Quid si partus editi sunt post fideicommissum diem?
4. Quid si post diem fideicommissi cedentem editi, sed ante moram factam.
5. Fructus percepti ab herede ex re propria legata, quando heredi imputentur in quartam?

[1.]  OVEANVS. Lex haec tribus sententiis continetur. Prima est, res ab haerede subtractas in *Falcidiam* non imputari, quod hanc vim habet, ut neque de his rebus *Falcidia* detrahatur, neque reliqua legata per eas minuantur: quam poenam haeres fert fraudulenti consilii. *I. beneficio* 59. *infra eod.* Quam eandem poenam patitur, si pertinaciter contendat, non esse rem haereditariam. *I. haereditatum* 68. §. ult. *infra eod.* Quarta autem, quae haeredi auferatur, fisco applicatur. *I. rescriptum* 6. *de iis, quib, ut indig.*

[2.] Sententia secunda huiusmodi est, Si haeres rogetur haereditatem restituere post mortem suam, partus ancillarum ante diem fideicommissi editi, in fideicommissum non veniunt, quemadmodum neque fructus ante fideicommissum diem percepti. Neque enim matris pars foetus est. Neque refert rogetur haeres ancillas, an haereditatem restituere post mortem, vel simpliciter, vel hoc modo, SINE REDITIBVS, vel, EXCEPTIS REDITIBVS. *I. Paulus* 14. *de usuris.* Neutro enim casu partus in fideicommissum veniunt, nisi forte qui gregem supplent ancillarum. Sic enim intelligendam arbitror, *I. deducta* 58. §. *haereditatem* 4. *ad Treb.* Sunt enim, qui ancillas in id etiam habeant, ut pariant. Quemadmodum porro fructus pendente conditione percepti, ac proinde ex testatoris voluntate, ita & partus ancillarum in quartam imputabuntur. Neque enim tantum dies, sed & conditio fideicommisso inest, cum quis post mortem suam rogatur haereditatem vel rem unam aliquam restituere. *I. 1. & I. haeres meus*

79. *de conditio. & demonstrat.* Itaque si legatus ante haeredem decedat, nihil ad haeredem transmittit.

[3.] Quaero, quid dicendum sit de partibus editis post diem fideicommissi cedentem? Et respondeo, neque partus, neque fructus perceptos post diem fideicommissi cedentem ex voluntate percipi testatoris: itaque in quartam non esse imputandos: lucro tamen cedere haeredis, si moram fideicommissum non fecerit. *I. mulier* 22. *ad Treb.* Post moram autem, vel post litem contestatam perceptos fructus & partus editos restituiri oportere. *d. I. Paulus* 14. *de usur.* & *I. quaesitum* 91. §. ult. *de leg.* 1. De quo scribenius ad *I. Divi* 89. *infra eod.*

[4.] Quaero de partibus editis & fructibus perceptis post diem fideicommissi cedentem, sed ante moram factam: Exempli causa, si propter legem *Falcidiam* haeres praestationem distulerit? Et respondeo, eos quoque partus & fructus ad haeredem videri pertinere. *I. in fideicommissi* 3. *de usuris.*

[5.] Tertia ac postrema legis sententia huiusmodi est: Fructus percepti ab haerede ex re propria haeredis legata ita demum in quartam imputantur haeredi, si ad eorum restitutionem haeres tenetur: ad eorum autem duntaxat fructuum restitutionem tenetur, quos percepit post moram. *d. I. quaesitum. I. 1. & ulti. C. de usu. & fru. leg.* Percepti namque ante moram, quamvis post diem fideicommissi cedentem, restitui non debent. Fructus autem percepti ex re testatoris legata, in quartam imputantur, etiam qui restitui non debent: ut haec differentia sit inter fructus perceptos ex re testatoris, & ex re haeredis legata. Quare legendum puto si non, ubi legitur, ET SI NON SINT.

XXV. SCAEVOLA Libro quarto Responorum.

MARITVM suum & filium communem aequis partibus haeredes instituit. Quaesitum est, an in ratione legis Falcidiae imputandum sit marito, quod ad eum ex eadem haereditate per filium pervenit. Respondi, si ex institutione filii tantum retineat, quantum ad Falcidiam satis sit, nihil quartae nomine deducendum.

S V M M A R I V M.

Portio, quae ex aditione filii pervenit ad patrem coheredem, legata patris auget.

GOVEANVS. Portio, quae ex aditione filii ad patrem cohaeredem pervenit, patris legata auget, ac si pater ex utraque portione haeres esset institutus. Ex causa vero legati vel fideicommissi, quod per filium patri acquiritur, non proficit legatariis. Nam neque legata ipsi patri

relieta legatariis proficiunt. l. *Nesennius* 22. *supra eod.* Quod ait Iureconsultus, PER FILIVM PERVENIT, intelligendum est, supra quartam portionis filii. l. *si pupillus* 21. §. *si ego* 1. *supra eod.* Si enim filii portio exhausta sit, ex persona filii quartam pater retinebit, quamvis in portione sua quadrantem habeat totius patrimonii.

§. i. Ait SCAEVOLA: *A liberto, cui fundum legaverat, per fideicommisum Seiae annua decem dedit. Quaesitum est, si lex Falcidia liberti legatum minuit, an Seiae quoque annum fideicommisum minutum videatur, cum reditus largiatur annuam praestationem?* Respondi, secundum ea, quae proponerentur, non videri minutum, nisi alia mens testatoris probetur.

S V M M A R I V M.

Non obstat huic legi l. 32. §. ult. infr. eod.

GOVEANVS. Iureconf. in l. liberato 21. §. a liberto 1. de ann. legat. A liberto (ait) cui fundum legaverat ferentem annua LX. per fideicommisum dederat Pamphilae annua dena. Quaesitum est, si lex Falcidia liberto legatum minuat, an Pamphilae quoque annum fideicommisum minutum videatur: cum ex reditu legata sint: qui largitur, etiam si Falcidia partem dimidiad fundi abstulerit, annuam Pamphilae praestationem. Respondi, secundum ea, quae proponerentur, non videri minutum, nisi alia mens testatoris probaretur. Neque obstat l. poenales 32. §. ulti. infra

eed. Vbi de ipsis viginti legatis, quindecim per fideicommisum relinquuntur: in proposito autem, de reditu fundi legati annum fideicommisum datur. Verum de sententia §. ult. l. poenales, plura suo tempore.

Quid ergo, si reditus portionis fundi, quae detracta Falcidia supereft, fideicommisso non sufficiat? Et puto, si portio ea quinque tantum ferat, non amplius legatarium praestaturum; si decem ferat, ipsa omnino praestaturum. l. cum pater 77. §. si pars 13. de leg. II. Dena namque in alimenta legata sunt.

XXVI. IDEM Libro quinto Responorum.

LINEAM margaritarum triginta quinque legavit, quae linea apud legatarium fuerat mortis tempore. Quaero, an ea linea haeredi restitui debeat propter legem Falcidiam? Respondit, posse haeredem consequi, ut ei restituatur: ac si malit, posse vindicare partem in ea linea, quae propter legis Falcidiae rationem debet remanere.

S V M M A R I V M.

Lineam margaritarum legatam, quae apud legatarium tempore mortis testatoris fuerat, quomodo heres consequi possit?

GOVEANVS. Linea margaritarum legata est, ea apud legatarium tempore mortis testatoris fuerat: potest haeres consequi per arbitrum *Falcidiae*, ut sibi linea restituatur, hoc est, lineae possessionem repetere potest, *l. haeres. 21. ad Treb.* Nam interdicto QVOD LEGATORVM, non videtur teneri legatarius, qui legatum sua auctoritate non occupavit, neque sibi ius dixit. *l. 1. quor. legat.* Potest etiam haeres vindicare partem lineae, quae propter legis *Falcidiae* rationem apud eum remanere debet: cum ea portio legis potestate in haereditate remanserit. *l.*

pen. C. ad legem. Falcid. Haereditas namque res singulas haereditarias haeredis facit. *l. ut legatum 37. de legat.* *ii. easque petitione haereditatis haeres vindicat.* *l. regulariter 9. de petit. baered.* An idem dici possit in legato, quod ex pluribus corporibus non constat, dubito. Et magis est, ut & eius legati haeres partem vindicet. Nam & incertae partis ratione vindicatio datur. *l. quod de tota 1. §. incertae 76. de rei vind.* Quae *gemmae*, qui *lapilli*, quae *margaritae* appellantur, docet Iureconsultus in *l. & si non 19. §. 17. de auro & arg. leg.*

§. 1. Ait SCAEVOLA: *Quaesitum est, beat? Respondi, debere.*

an pretium statuarum Falcidiam pati debet?

S V M M A R I V M.

Num pretium statuarum, quas testator in municipio sibi ponи iussit, ad Falcidiam revocandum sit?

GOVEANVS. Testator in municipio statuas sibi ponи iuss erat. Quae situm est, num pretium statuarum ad *Falcidiam* revocandum esset? Nam de ipsis statuas detrahi non posse constabat. *l. si is, qui quadringenta 80. §. quaedam legata 1. infra eod.* Dubitationis ratio illa erat, quod haes statuae in honorem testatoris ponи iussae essent.

Verum placuit, & pretium harum statuarum ad *Falcidiam* pertinere, quemadmodum & pecuniam, quae ad monumentum relinquitur. *l. 1. §. ult. supra eod.* Municipio statuas legatas ex eo intelligi potest, quod si haeredes statuas non posuerint, usuras reip. usque ad tertiam centesimae pendunt. *l. cum quidam 17. §. ult. de usur.*

XXVII. IDEM Libro sexto Responorum.

SEIVS & Agerius si intra diem trigesimum mortis meae reipublicae nostrae caverint, contentos se futuros tot aureis, legis *Falcidiae* beneficio omisso, haeredes mibi sunt: quos invicem substituo. Quod si voluntati meae non consenserint, exhaeredes sunt. Quae situm est, an haeredes instituti haereditatem adire possint, si conditioni parere nolint, cum habeant substitutos eadem conditione praescripta. Respondit, Seium & Agerium primo loco institutos perinde adire posse, ac si ea conditio, quae fraudis causa adscripta est, adscripta non esset.

S V M M A R I V M.

1. *Conditio, in legis fraudem apposita, remittitur a Praetore.*
2. *Exhaeredari de quovis dicitur instituto herede.*

3. *Si caveant heredes, se beneficio *Falcidiae* non usuros, an ideo solida praestent legata?*

[1.] **G**OVEANVS. Conditio, in legis fraudem apposita, pro non apposita habetur, & a Praetore remittitur. *l. hoc modo 64. de condit. & demon.* Quare si testator sub hac conditione haeredes instituat, si caverint, se *Falcidiae* beneficio non usuros, pure intelliguntur

instituti: neque eorum aditionem remorabitur conditio: quamvis testator eis dederit substitutos sub eadem conditione, qui fortasse ea conditione haereditatem adire non dubitant.

[2.] Ait Iureconsult. *Exhaeredes sunt.) Exhaeredari non solum liberi dicuntur, verum & quivis*

quibus haeres institutus. Neque est, quod inde ACCVRSIUS colligat, Seium & Agerium filios fuisse testatoris.

[3.] Quaero, si haeredes legatariis caveant

legis Falcidiae beneficio non usuros, an propterea solida legata praestent? Et de quaestione hac diximus ad l. quod bonis 15. §. 1. supra eod.

XXVIII. MAETIANVS Libro primo Fideicommissorum.

PATER quoque in legatis, quae filius ei dedit, alio haerede instituto, legis Falcidiae rationem patitur.

S V M M A R I V M.

1. De iis, quae filius emancipatus vel de peculio castrensi patri reliquit, Falcidia detrahetur.

[1.] **G**OVEANVS. In ratione legis Falcidiae coniunctioni & necessitudini nihil tribuitur. Itaque de legatis; quae filius emancipatus, vel qui de peculio castrensi testabatur, patri reliquit, Falcidia detrahetur. Favor enim haeredis instituti in testatorem ipsum redundat, uti saepe diximus.

[2.] Quaero, si minus legitima portione in

2. Si minus legitima portione in legato patris sit, datur patri querela inoff. test.

legato patris sit, num de inofficio filii testamento dicere pater possit? Et constat posse. l. pater filium 14. de inoffic. testam. nisi filii iudicium agnoverit. In legatis praestandis petita bonorum possessione contra tabulas, & iis, quae a patrono relinquuntur ex debita portione instituto habetur coniunctionis ratio: verum utrobiusque intra Falcidiam, de quo plura ad l. ex aſſe 52.

XXIX. PAVLVS Lib. II. Fideicommissorum.

Si a me tibi fideicommissum vel legatum est, tumque id post tempus rogatus sis mihi restituere, non puto hoc imputandum esse in Falcidiam: quia incipio postea quasi fideicommissarius id recipere.

S V M M A R I V M.

Quae ex fideicommissi causa capiuntur, extra quartam sunt.

GOVEANVS. Si legatarius post tempus legatum haeredi restituere rogetur, haeredi in quartam id non imputatur, quod quasi fideicommissarius post tempus recipit. Quae enim ex fideicommissi causa capiuntur, extra quartam esse

constat. Quod si legatarius rogetur legatum haeredi statim restituere, magis est, ut fideicommissum id in quartam haeredi imputetur, a cuius petitione summoveri legatarius exceptione potest. l. nec interest 51. l. ex aſſe 52. infra eod. Dolo enim peti videtur, quod restitui statim oportet.

XXX. MAETIANVS Lib. VIII. Fideicommissorum.

In ratione legis Falcidiae mortes servorum, caeterorumque animalium, furta, rapi- nae, incendia, ruinae, naufragia, vis hostium, praedonum, latronum, debitorum facta peiora nomina, in summa quocunque damnum, si modo cu'pa legatarii careant, haeredi pereunt: quemadmodum ad haeredis lucrum pertinent fructus, partus aneillarum, & quae per servos acquisita sunt, ut stipulationes, rerum traditiones, legata, haereditatesve his datae, caeteraeque donationes, item ser- vitutes, quibus liberata praedia pretiosiora fierent, actionesque acquisitae, ut fur- ti, damni iniuria, similesque: quorum nihil in rationem legis Falcidiae cadit.

S V M M A R I V M.

1. *Damnum & lucrum, quod adita & ante aditam haereditatem contingit, ad haeredem pertinet.*
2. *Servi pereunt heredi.*
3. *Vltima h. l. verba ut intelligenda?*

[1.] **G**OVEANVS. Quicquid adita haereditate damni lucrive contingit, ad unum haeredem pertinere in dubium non venit. Idem dicendum, si ante aditam haereditatem quid eorum eveniat: quandocunque enim adita haereditas, ex die mortis testatoris adita censetur. *l. omnia 201. de reg. iur. l. haeres 32. de acquir. haer.*

[2.] Ait Iureconsult. *MORTES SERVORVM.* Excipiendi sunt, quibus testator libertatem dedit, vel quos tam gravi affectos valetudine reliquit, ut certum esset morituros, vel

qui ob dominum non defensum capite puniti sunt. *l. in ratione 11. §. si servus testamento 4. supra eod.* Neque refert, pure an sub conditione libertas data sit, si quandoque impleatur conditio, hoc est, etiam post mortem servi. *d. l. in ratione. §. 1.*

[3.] Ait Iureconsult. *VT FVRTI, DAMNI INIVRIA E.* Acquisitae per servos haereditarios. Exempli causa, Res peculiaris servi haereditarii sublata furto est, aut in ea servo damnum iniuria datum est. Sic enim locum hunc intelligendum puto.

§. 1. Ait MAETIANVS: *Porro diligenter animadvertisendum est, ne, quod dicitur, damna post mortem testatoris illata ad solum haeredem respicere, usquequaque & sine ulla distinctione recipiatur. Quod enim, remota lege Falcidia, in toto iuris foret, hoc idem foret & in ea parte, quae lege Falcidia constitueretur. Huc enim attinet, damna postea facta non deduci, ne amota portio legatis fideiive commissis detrahatur. Verum est autem iis solis, quae pondere, numero, mensurave constant, nec damno postea incidente, ex portione, quae fieri solet ad aestimationem eorum bonorum, quae mortis tempore fuerint, quicquam detrahi. Certis vero corporibus ex his ipsis ita relictis, pecuniam, quam in illa arca: vinum, quod in illis dolis: pondus argenti, quod in illis horreis habeo: Si non culpa haereditis deperierunt, vel deteriora sunt facta: procul dubio aut nihil debebitur, aut eorum, quae extabunt, qualia erunt, ea portio debebitur, quae per legem Falcidiā efficiatur ex aestimatione bonorum, quae mortis testatoris tempore fuerint. Incertae autem res relictæ distinctionem recipiunt. Nam si ex suis rebus incertam rem testator reliquisset, veluti argentum, quod elegerit. Et omne argentum testatoris deperisset, admissa lege Falcidia portio eius quantitatis sumetur, quae fuit in bonis eo tempore, quo testator decessit: nec ad diminuendam eam quicquam damna postea incidentia proficiunt: res tamen, quae interierint, pro nulla parte, ac ne aestimatio quidem debebitur, non magis, quam si omnes res per speciem enumeratae relictæ essent.*

S V M M A R I V M.

1. *Species legata si sine heredis culpa perierit, nihil eo nomine praestatur.*
2. *Si argenti pondus pure relictum est, quamvis*

omne testatoris argentum pereat, legatum debetur.

3. *In horreis veteres pretiosissimas res reponebant.*

[1.] **G**OVEANVS. Damna post mortem testatoris ante aditam haereditatem illata, non utique ad solum haeredem respiciunt. Si enim species legata est, ut Stichus, sine culpa haereditis mortuo Sticho, nihil eo nomine praesta-

tur. Idem dicendum, si ex rebus certis incerta legata sit, hoc modo, *TITIO LEGO ARGENTVM, QVOD ELEGERIT.* Si enim omne argentum testatoris perierit nulla haereditis culpa, nihil debetur. Quin ne argenti quidem, quod periiit, aestimatio debebitur, non magis, quam